





1093

DISSERTATIO IVRIS CIVILIS  
DE  
VERA INDOLE  
**LITTERARVM OBLIGATIONIS**  
ATQVE EXCEPTIONIS  
NON NVMERATAE PECVNIAE  
EARVM QVE VSV  
IN FORIS NOSTRIS CESSANTE

1760, 36

---

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI ATQVE CELEBERRIMO  
**GEORGIO SAMVELE MADIHN**

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE  
EIVSDEMQUE IN REGIA FRIDERICIANA PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
AC FACULTATIS IVRIDICAE ADSESSORE  
D. IX. FEBRVAR. MDCCCLX.  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AUTOR  
**CHRISTOPHORVS FRIDERICVS WENTZEL**  
ISLEBIENSIS.

---

HALAE  
LITTERIS HENDELIANIS.





§ I.

Si ea rerum omnium humanarum conditio, vt nihil tam praeclarum, nihil tam exactum, nihil tam omnibus numeris absolutum, quin naeuis suis deformetur ac maculis; artis legitimae profecto nostrae fata id ferre videntur, vt in tanto lucubrationum tristri pallore vix una aut altera recipiat soliditatem perfectioris doctrinae. Non dicam de illa ferrea aetate, vbi glossatorum turba, horrendo stupore, atque mirifica ignorantia barbarieque omnia repleuit, tristissimaque caligo iurisprudentiae incubuit, sed de temporibus longe recentioribus, quibus omnis ad veram laudem impetus propemodum ita oblanguit, vt eximiorum quorundam Iureconsultorum industria vix paucos ad eamdem doctrinae gloriam sectandam inflammauerit. Trita enim vulgarique incedere malunt via, qua omnia iuris capita ita crude, ita peruerse proferuntur, vt aliud legibus constitutum sit, aliud autem forensium negotiorum patroni casuum decisioni adplicare nulli erubescant, adeo vt hodiernam iurisprudentiam non ex legum sanctionibus enatam, sed circumfaneorum caussidicorumque strepitu atque declamationibus effectam recte dixeris. Hinc non ad legum fontes, non ad earum rationes, non ad veram legislatoris mentem, sed ad immensa

Instituti  
ratio ex-  
ponitur.

illa volumina, casuum decisionibus, communibus Doctorum opinionibus, praeiudicisque innumeris referta confugunt. Imo in tantam insaniam abiit casus formandi & ex casibus proficiendi docendique pruritus, ut ipsi casuistici Doctores, ipsaque, quam profidentur, iurisprudentia casuistica dicenda sit. At enim vero relinquam tam incomtum desperataeque indolis hominum genus. Iamdum non contundam illorum artis palladia. Non irae succensebo. Adprecari illis bonam mentem, clientesque multos, stolidos, litigiosos, &, quae summa rerum est, diuites. Cum poëta Venusino illis valedicam

*Odi profanum vulgus & arceo!*

Vos potius compello, Viri de omni iurisprudentia optime meriti, eruditiois praestantia atque elegantiorum litterarum adparatu instructissimi Iureconsulti. Cum vobis mihi sola res esto. Vestrum iudicium instar omnium est. Vobis causam meam commendo. Vestrum erit tutelam eius recipere. Vos perspectum habere nullus dubito, duplicum esse iura demonstrandi rationem, alteram ex legum ciuilium causis, alteram ex rerum notionibus. Hanc ideo legem mihi dixi in digerenda litterarum obligationis indole, quam vt sancte seruarem custodiremque omnibus viribus contendam. Quum enim specimine quodam prodire, illudque publice ventilandum proponere et remea esse videretur, chirographarius contractus, reliquis maiorem differendi copiam suppeditabat. Argumentum certe spinosum, multisque tenebris obductum, & si dicendum, quod res est, interpretum commentis magis obscuratum; imo oppressum, adeo ut decem vel viginti in consilium adhibitis repetere cogaris illud Demophontis apud T E R E N T I V M

*Fecistiis probe:*

*Incertior sum multo, quam dudum.*  
Non ullius enim conventionis naturam Iurisconsultis intellectu difficultorem esse obligatione, quae ex scriptura natales suos repetit,

petit, vel exinde conicere licet, quod duumiri celeberrimi atque in repetendis legum fontibus sagacissimi IOAN. PET. a LVDWIG & IOAN. GOTTL. HEINECCIVS, praestantissima quandam Fridericianae nostrae fidera, in explicanda euoluendaque illa quodammodo fluctuarint. Ille in diss. de *nexus scripturæ & subscriptionis cap. 1. & 2.* Hic vero in *Syntagm. Antiquit. lib. III. tit. 22.* Singulari deinceps dissertatione idem argumentum complexus est Illustris Vir GOD. LODOV. MENCKEN, qui in secerenda litterarum obligatione ab omnibus aliis palmarum reliquis extorxit. Sed quum aliquoties a Viro humanissimo, cuius masculam iuris scientiam merito alioquin suspicio, mihi dissentendum sit, aliaeque diuortii ab aliis ineundi, quibus summa apud me auctoritas est, mihi suppetant rationes, spicilegium in re tam ardua utique relictum viderur. Sunt enim, quorum originem & caussas descripturi antiquiores scriptores, ut si nubem pro Junone arripuerunt, neminemque tam effoetam esse naturam dictum credo, ut, quae nunc format ingenia, nihil eorum, quæ illi ignorarunt, peruident. Multas profecto easque euidentissimas iuris rationes recluserunt viri legum fontium peritiores, atque diligentior philosophiae nostra aetate cultura, quas superiori aeuo non perspexerunt commentatores. Ex primis ideo suis natalibus repetam litteralem obligationem, indolemque illius determinatis propositionibus absolutam, & tandem ex processu in foris nostris obuenientis complexibus manifestum dabo, nullum nobis superesse chirographorum Romanorum usum.

### §. II.

Quatuor fuisse modos firmandi obligationem per Obligationis litteratum genera secundum ius Romanum, ipse JV. STINIANVS §. 2. I. de oblig. docuit. Aut enim *re*, aut in genere *verbis*, aut *litteris*, aut denique *consensu* fiebant. Quae spectatur. pacta, qui contractus sint, iam ut explicemus, a nobis impre-

trare non possumus. Tralatitium enim est, nec fugit etiam leui-  
ter tinctos. Id vero haud praetermittendum videtur, contra-  
ctus tum dici reales, verbales, consensuales aut litterales, si ra-  
tio constitutae obligationis sufficiens, quam contractus initus inuo-  
luit, deprehenditur in rei traditioni, verbis solemnibus ore pro-  
lati, consensu in certis negotiis & a legibus determinatis  
nude interposito, aut tandem in scriptura exhibita. Quare ad  
intelligendum haud difficile est, litterarum obligationem tum  
dignum adesse, si ex sola scriptura illa oritur, adeoque si to-  
tius obligationis efficacia a scriptura dependet. Sed porro ex-  
inde conficitur, cessante scriptura obligationem quoque nullam es-  
se. Quautumuis enim mediis probandi legitimis obligationis  
contractae existentia demonstrari possit, cuius caussa in maiorem  
securitatem facilioremque probationem scriptura exhibita est,  
ea tamen obligatio non est litterarum, sed alia eius causa ut  
sustineatur necesse est. Alia quaesito est, *vtrum ex scriptura*  
*obligatio nascatur*; alia autem, *an sit accessio obligationis contra-*  
*ctae mediumque illam, si in dubium vocetur, probandi*. His  
praemissis nostrum iam *est*, de effectibus scripturae secundum  
leges Romanorum disquirere, eaque requisita evoluere, quo-  
rum complexus litteris conciliabat vim obligationis ciuilis. Quo  
igitur natales eius, quantum in re tantis dissertationis academicae non transgrediamur, a primis temporibus repetamus, anti-  
qui scripturae effectus a recentioribus discernendi sunt. Inter  
omnes, qui varias litterarum virtutes, mediaque creditam  
pecuniam exinde secundum mores veterum probandi nobis  
seruarunt, primum certe locum obtinet **AULVS GELLIVS**  
in Noſt. Att. qui succinete accurate que *Lib. XIV. cap. 2.*  
rem prosequitur in ficto illo casu, quo creditor vir expertae no-  
taeque fidei, qui alteri sine omni cautione tabularumque inter-  
cessione pecuniam mutuam dederat, contra morosum debito-  
rem

rem coactus experiebatur actione. Debitor negabat numerationem, eiusque probationem deposcebat. *Is cum suis multis patronis, inquit GELLIOS, clamitabat probari apud me debere pecuniam datam consuetis modis, EXPENSI LATI<sup>7</sup>ONE, MENSAE RATIONIBVS, CHIROGRAPHI EXHIBITIONE, TABVLARVM OBSTGNATIONE, TESTIVM INTERCESSIONE, ex quibus omnibus si nulla re probaretur, dimitti iam se oportere & aduersarium de calunia damnari.* Ex hoc quantius pretii loco extra contentionis ferram vindicatur, omnem creditarum pecuniarum demonstrationem quintuplici ratione, absolui potuisse, prout ex ultimis GELLI verbis, quae recensuimus, satis certe colligitur, creditoremque, si hisce probandi mediis frustra vitetur, causa omni cadere atque vix calumniatoris poenam effugere. Sed haerentiae illae scripturarum figurae praeter vim probandi efficaciam quoque obligandi? Quid mihi videatur, de singulis dabo.

### §. III.

*Exensem ferre, quid veteribus fuerit, explicit De expensi latione si rationibus mensibus mense.*  
ASCONIVS PEDIANVS in Verrem pag. 97. per scribere & accepti, seu tabulae de expensa & accepta pecunia, quibus pater familias vtebatur, ut nomina illorum in tabulis *expensi*, summanque debiti perscriberet, quibus illam credidisset. Si debitor deinde solueret, adeoque creditam pecuniam scribens recipere, tum in tabulis *accepti* pecuniam acceptam illi ferebat. CLAVD. SALMASIVS de Modo Vsur. cap. ii. pag. 473. seqq. Proinde *expensi* latio non erat nisi actus, quo creditor, praesente maxime debitore, in tabulis suis expensi perscribebat nomen debitoris, cui expensam ferebat pecuniam. Non solum ex causa mutui, verum etiam ex alio contractu, si de pecunia sibi hinc inde soluenda fidem habiturus esset. Quare eiusmodi praestanda tunc in creditum ire dicebantur. Debitor etiam in tabulis

tabulas suas referebat, quantum accepisset & quantum deberet. Hinc nominum obligatio contrahebatur, quae etiam adesse videbatur, si nomina creditoris & debitoris ab argentariis mensariisque tabulis mensae inscripta fuere, de qua paulo post dicendum erit. Prioris generis nominum obligatio obversatur **CICERONI** ad *Atticum Lib. IV. epist. 18.* qui pactionis nominibus & prescriptionibus multorum tabulis factae mentionem fecit. Id certe cum Viro Illustri **GOD. LVD. MENCKEN** propugnare audio, hanc nominum obligationem perperam referri ad illam, quae mensae rationibus componebatur, ad sentiorque emendationem **B. HEIN ECCII** in *Synt. antiqu. Lib. III. tit. 2. §. 2.* qui pro *prescriptionibus* legere mauult *praescriptiōnibus*, intellectum genuinum obscuriorem reddere, sed *Ciceronem* hic improppio, quod viro celeberrimo placet, vocabuli *prescriptionis* significatu vsum fuisse, ambigo. *Prescriptionem* ad rationes tantum argenteriorum restringendum esse, nullus probauit. Generalius potius verbum cuique nominum obligationi, illorumque in tabulas relationi conueniens esse, non ex hoc tantum **TULLII** loco sed ex aliis iure colligitur. Ab hoc codice expensi & accepti, *Kalendaria* distincta fuere, quae erant *codices pecuniae foeneratiae*, licet Viro summo **10. PET. a LVDEWIG** aliud visum fuerit, qui in diff. *de nexu script. & subscr. cap. 2. §. 2.* de tabulis expensi & accepti, quibus omnes patres familias vtebantur, ita differit. *Et cum bi codicilli singulis diebus continuarentur secundum ordinem fastorum & calendariorum*, hinc etiam eius generis *domesticae scripturae audiērunt calendaria, hauskalender, hausbücher, tagebücher*. *Tractitium hoc est cum in legibus, tum scriptoribus Romanis*. Sed commentitium esse reputo. Fingit enim, non probat. Kalendariorum usus tam publicus, quam priuatus erat. Kalendario publico, quod plerumque exercebant ciuitates, praerant Curatores specialiter hunc in finem electi, quique ideo Cu-

ra-

ratores Kalendarii adpellabantur L. 9. s. 7. 8. 9. De admini-  
strat. ver. ad ciuit. pert. L. 13. s. 2. D. de muner. & honor. Ka-  
lendaria vero priuata exercebant domi foeneratores L. 88. D. de  
legat. 2. L. 41. s. 6. L. 64. de legat: 3. L. 39. s. 14. D. de adm.  
tut. quibus praeponere solebant seruos l. 41. D. de reb. cred. aut  
etiam interdum filios L. 34. s. 1. D. de legat. 3. Haec vero Ka-  
lendaria a tabulis expensi & accepti secernenda esse, non vna sup-  
petit ratio, quoniam 1) in codice expensi & accepti omnia debita  
maxima cum diligentia recondebat patres familias, quae tantum  
cursim in *aduersariis* exceperant, in Kalendariis autem, praemis-  
so Kalendarum nomine, debitorum, qui usuras soluere debebant,  
nomina subiciebantur GERH. NOODT de usuris & foenore.  
lib. II. cap. I. atque 2) foeneratitia negotia Romani plerumque  
tanto odio prosequerentur, vt omnibus bonis turpe haberetur foe-  
nori pecuniam dare, adeoque vt hanc turpitudinis notam quo-  
dammodo eff. gerent, seruos potissimum eiusmodi negotiorum uni-  
versitati praeponerent, qui Kalendaria nominibus & foenore occu-  
parent; quamuis non negare velim, ingrauescente in dies cupiditate  
habendi, quosdam nunc absque omnibus prorsus ambagibus Ka-  
lendarium exercuisse. Ex pluribus SENECA M tantum addu-  
cam, cuius auctoritas nobis iam sufficiet, qui de benef. lib. 1. c. 2.  
eloquitur: *Nemo beneficia in KALENDARIO scribit: nec auarus  
axactor ad horam & diem adpellat.* Vulgati autem iuris est,  
pecuniam mutuam gratis atque sub amico adfectu concedi nullum-  
que foenus admittere, atque beneficiis merito adnumerari. Quis  
vero ambiget nominia debitorum, quibus pecunia mutuo data est,  
tabulis accepti & expensi inscripta fuisse? In eo etiam Vir  
summus ingenio indulxit, si, ex Kalendariis vt probandi virtutem  
commonstret, suspicionemque falsae scripturae ab illis remoueat,  
Curatorum Censorumque officio illorum fraudibus obuiam itum  
fuisse, contendit. Curatores enim Kalendariis publicis atque ci-  
vitatum tantum praefecti fuere, illorumque etiam munus ad Ka-

B

len-

lendaria priuata pertinuisse ex antiquis scriptoribus veterumque  
 monumentis haud demonstrari potest. Censores autem fide qui-  
 dem tabularum domesticarum Kalendariorumque urbem lustra-  
 bant, hisque iure iurando confirmatis viuis cuiusvis ciusm  
 aestimabant, sed an falsa nomina contracta essent, nunquam per-  
 quirebant. Haec est vna nominum obligationis species tabulis  
 Kalendariisque domesticis olim contracta, quae expensi latio di-  
 cebatur, si nomina codici expensi & accepti inscripta fuere, nul-  
 lo prorsus chirographo propriaque debitoris confessione interce-  
 dente. Totum hoc negotium pertinebat ad numerationem de ar-  
 ca & domo, cui opponebatur ea, quae ad mensam argentarii  
 vel mensarii fiebat. Prior vero vel ita contingere solebat, vt  
 amico amicus daret pecuniam mutuam, vel foenori illud expo-  
 neret recipereque alter. Illo in casu *expensum illi ferebat*, no-  
 mine eius in tabulis redacto, posteriori casu praecedente stipula-  
 tione de usuris soluendis eaque in scripturam conuersa atque a  
 debitore subscripta, Kalendario nomen eius inscribebatur. Sed  
 mensae rationibus, quae contrahebatur, & cuius GELLIVS me-  
 minit, etiam nominum obligatio erat, quae ita fiebat, vt argen-  
 tarii mensarii nomina tam debitorum quam creditorum in  
 rationes redigerent, postquam tradita numerataque fuerit pecunia.  
 Non est, quod de differentia mensariorum, argentariorum num-  
 mulariorumque fusius agam, cum illustris MENCKEN in cit.  
 diff. ff. 2. 3. & 4. illorum officia atque discrimina satis succincte  
 & eruditè explicauerit, hocque illis commune fuerit, quod pu-  
 blicas tabernas mensasque exercuerint, ad quas confugiebant tum  
 illi, qui pecuniam pro usuris soluendis sumere volebant, cum  
 ipsi foeneratores, qui pecuniam, quam ibant creditam, ex arca  
 sua haud numeraturi, per argentarios suorum nomine id fieri cu-  
 rabant, tumque ista pecunia *ex mensa* sive *mensae scriptura*  
 dari dicebatur. Tabulae illorum aequae Kalendaria nominaban-  
 tur & a Kalendariis domesticis se distinguebant, quod ex illis  
 foenus

foenus peti possit, absque omni stipulatione interposita. Cet.  
conf. CLAVD. SALMASIUS de modo usur. cap. II. & AN-  
TON. SCHVLTING in *Iurispr.* Antej. pag. 164.

#### §. IV.

Haec de veteri nominum obligatione, quae nu- An fuerit  
meratione ex arca & domo mensae rationibus siebat. litterarum  
lam definiendum est, *vtrum illa fuerit litterarum obligatio?*  
*obligatio?* Quod penitus negandum esse nemo non fatebitur,  
qui naruram litteralis obligationis intelligit atque perpendit. Lit-  
terarum enim obligatio nulla adest, nisi ratio contractae obligatio-  
nis sufficiens in scriptura deprehendatur. (§. 2.) Verum enim  
vero in expensi latione, Kalendariis, mensaeque scriptura haec  
ratio sufficiens olim non deprehendebatur, adeoque nulla quoque  
inde oriunda erat litterarum obligatio. Intermediam propositio-  
nem itaque demonstrabo. Si pecunia alicui vreda dabatur, vel  
ex arca & domo vel ad mensam argentarii numerabatur. Priori  
in casu vel debitorum nomina in tabulas expensi & accepti redi-  
gebantur, vel Kalendaria, si foenori exposita pecunia, illa exci-  
piebant. Posteriori vero numerata ex publicis argenteriorum ta-  
bernis mensis pecunia, tam debitorum quam creditorum no-  
mina mensarri suis tabulis inscribebant (§. praeced.) Quare ad  
triplex membrum reddit ipsa propositio iam probanda. Singula  
considerabo. Codex expensi & accepti nomina debitorum com-  
prehendebat, quibus mutuae concessae erant pecuniae. Omnes  
eiusdem tabulae creditoris patris familias manu propria, non de-  
bitoris, conscripte erant, nullamque ideo crediti confessionem  
continebant. Quare si ex litteris nasci debuisset obligatio, ex fo-  
la creditoris scriptura orra esset. Quis vero vnuquam ex solo cre-  
ditoris facto obligationem debitoris oriri potuisse adfirmare ausus  
est? Obligationem enim pecuniam creditam reddendi ex debi-  
toris

toris acceperatione eiusdem natales suos accipere, & lex & sana ratio vrget. Tantum igitur abest, vt ex tabulis domesticis pecuniae expensae acceptaeque obligationis cuiusdam contractae fundamentum repeti potuisset, vt potius medium probandi solum fuerit, si debitor illam in dubium vocare vellet. Negotium totum expiebatur numeratione de domo ex arca, fidemque rei gestae conciliabat creditor nomen debitoris, praesente eo, rationibus suis inscribendo. Fundamentum igitur obligationis nihil erat, nisi numeratio pecuniae alii credendae, mutuumque veri nominis. Iam euenire poterat, debitore solutionem renuente, vt creditor conditione certi ex mutuo experiri cogeretur. Futilius debitor negabat intentionem actoris omnemque eius caussam, seu, quod perinde est, exceptione non numeratae pecuniae vtebatur. Reo simpliciter negante, fundamentum argendi actor probare debebat. Hic ad tabularum suarum auctoritatem configiebat, numerationemque, totius caussae momentum, ex illis probatu-  
 erat. Debitor, si contra illarum fidem excipere non potuerit, vti a CICERO referitur in *Orat. pro Roscio, Comoedo*, qui & eiusmodi exceptionum fontes modosque probandi aperit exponitque, condemnabatur ad pecuniam soluendam, non quia scriptum est, sed quia illi numeratum, numerationemque creditor docuit. Quamobrem indubitate sane consequentia conficiimus, numerationem, seu quod idem est, traditionem rei fungibilis, obligationis fuisse caussam sufficientem, expensi rationem autem ad media probandi obligationis iam constitutae pertinuisse. Si enim fundamentum eiusdem fuisset, nullus sane questioni locus concedi potuisset, vtrum numerata sit pecunia nec ne, sed simpliciter ex scriptura creditoris condemnari debuisset debitor, nullis contra sinceritatem fidemque tabularum exceptionibus admisis. Iisdem ferre rationibus alterum, quod ad Kalendaria pertinet, membrum euictum dare possumus, cum haec aequa solius creditoris scriptura conficiatur, atque duntaxat ob usuras soluendas

ver-

verborum obligatio in scripturam redacta accedere debeat. Quamvis enim foenerator sollemni hac debitoris confessione scriptura que vteretur scriptura tamen actionis fundamentum non fuit, sed medium probandi solum stipulationem, qua ysurae promissae erant, PAVLLI Recept. Sent. III. 14. quoniam sine forte credita nullum depositi queat foenus tanquam sortis accessio. Occurrit quidem actio Kalendarii, non inficias eo, sed illam speciem actionis ex stipulatu fuisse, nemo ignorat, nisi in iure antiquo hospes ANT. SCHVLTING. ad Caii Inst. Lib. 2. tit. 9. §. 10. in Iurisp. Ante Iustin. pag. 164. Nulla igitur ex Kalendaris ipsaque debitoris cautione litterarum obligatio. Ad mensae scripturam denique quod spectat, certissimi quoque iuris fuisse, me docuerunt VLPIANVS & CAIVS in L. 4. 5. & 10. §. 1. de Edendo L. 27. §. 1. D. de furtis, argentiorum mensariorumque rationes inter instrumenta mediaque probandi, non obligacionum caussas, relatas fuisse. Certe, quamuis argentarii temporibus CATI & VLPIANI publico officio iam functi sint, mensarii vero iam ante tempora Imperatorum publicam habuerint causam teste LIVIO Lib. VII. cap. 21. illorum tabulae in iudicio prolatae non nisi fidem faciebant debiti, ad quas tam foeneratores crediti veritatem probaturi, cum apud mensam ysurarum missio absque stipulatione valida esset, quam debitores, solutum esse debitum urgentes, prouocant. Quibus igitur adumbritis iam vtique manifestum esse confido: nullam litterarum obligationem ex antiqua expensi latione, kalendariorum tabulis, ac mensae rationibus derivari posse. Aliam autem plerumque amplectuntur doctrinam Iuris interpretes, inter quos primum certe locum obtinet perillustris quandam IO. PETR. a LVDWIG, qui singularibus vere & a nemine ante illum prolatis rationibus in diff. cit. vetustatem litterarum obligationis euincere conatur. Sed pace manium tanti Viri singularia illa in veteri nominum scriptura perpendam, breuique calamo perstringam. De expensi latione,

latione, postquam commentum de censura Kalendariorum proponit, l. c. addit: *Post singulis quinquenniis Kalendaria sub examen miserant publici censores. Ita demum baud dubie eo in primis referri debuerat non numeratae pecuniae exceptio, post quinquennium ideo difficilior aut nulla, quia Kalendarium & expensatio firma ac fide Censorum.* In notula 47. autem de hac praeterea exceptione vberius exponit: *ita ego prorsus existimo, exceptione non numeratae pecuniae ut licuisse debitoribus non aduersus propriam manum, cui fides danda eousque quo usque debitor nihil contra probauit: sed aduersus scripturam & Kalendaria creditorum.* Noua & plane inaudita philosophandi ratio, Romanisque plane incognita, licet nominum scriptura usi fuerint. Eadem exceptione, iubet Vir ingeniosissimus, debitores aduersus rationes Kalendariaque argenteriorum aut mensurariorum se tueri. Verum frustraneo ausu. Siue enim expensi latio fieret, siue mensae rationes conficerentur, totius negotii caussa dependebat a numeratione, quemadmodum ipsa *numerationis de domo & arca arque apud mensam argentiariorum* verba satis indigant. Numerationem si ultro confiteretur debitor coram Praetore, creditor super sedere poterat omni probacione ex tabulis suis domesticis aut mensae rationibus confienda. Si vero negare non erubesceret, fundamentum actionis in numeratione consitens probandum fuit, adeoque hisce instrumentis uti debuit, ut irritam faceret exceptionem non numeratae pecuniae obmotam, atque igitur fieri non potuit ut debitores iisdem illam opponerent. Quare conjectura haec se sua sponte destruit, quoniam, si vera esset, naturam obligationis litterarum plane euarteret. Haec enim si adest, non amplius quaeritur, an numeratum sit, sed scriptura totam caussam absolvit. Nonne incongruum esset, exceptione non traditae pecuniae se tueri aduersus obligationem, quae ex rei traditione non descendit? Ipse GELLIUS, ad cuius auctoritatem Vir summus aliquoties prouocauit, inter media tantum probatio-

bationum retulit, cum debitor negaret, se mutuam accepisse pecuniam. Infra, rationibus fallere nesciis, euincam, hanc exceptionem contractui mutuae pecuniae vnice adplicatam fuisse.

15

§. V.

Tandem deuenimus GELLIO auctore, ad *chiro-* De Chirographi exhibitionem, tabularum obsignationem atque graphi ex-  
*testium interpositionem.* Quamuis enim Romani ab hibitione.  
initio in mutua concedenda pecunia singularem amicorum fidem, quibus istiusmodi beneficia exhibebant, sequuti videantur, non raro tamen experientia, optima rerum magistra, illos docuit, turgescente in dies hominum proteruitate malitiaque, immo inexplebili habendi libidine, pessime saepius debitores abuti inficiendo numerationem. Hinc cautes se praebebant patres familias, cauebantque, ne pericitentur, probationumque copia illis desit. Testes ideo intercedere in numeratione curabant, aut confessionem crediti manu debitoris propria exarata ab illo efflagitabant, quae *chirographum* dicebatur. Scio, huius verbi significatum latiore esse confessione scripta debitoris in causa mutui. Sed hoc mihi largiendum est, proprium eius significatum pertinere ad *scripturam priuatam manu debitoris conscriptam*, (vel ad minimum subscriptam) atque suo creditori datum, qua profitetur, se mutuum accepisse. L. 20. s. vlt. D. de usuris l. 40. D. de minor. L. 40. s. i. D. de reb. cred. Discrimen quod inter chirographa & syngrapha intercedit, non tradam, quippe quod ad litterarum obligationem intelligendam nihil facit. Pauci praeterea sunt, qui ignorant. Id tantum monendum esse duco, GELLIVM per tabularum obsignationem indicasse tabulas syngraphas obsignatas, quae plerumque a tabellione publico scribi, & ab utroque contrahentium testibusque subscribi,

scribi, & obsignari solebant. CLAVD. SALMASIUS de modo  
 vsurar. cap. 10. & 11. Haec chirographa olim probationis solum  
 effectus vulgares habuisse, nullamque negotiis fidem tabulis do-  
 mesticis creditori propriis maiorem conciliasse, extra dubium  
 est. Propriam quidem debitoris confessionem continent. Ve-  
 rum effectus singularis probationis obligationisque illis tribui  
 nequit, priusquam exceptio non numeratae pecuniae arctiori-  
 bus inclusa fuerit cancellis, quo in sequentibus paginis demon-  
 strabo. L. vlt. D. de probat. L. 5. D. de fide instrum. Ante  
 omnia hic profligandum est discrimen inter solemnes scripturas  
 & vulgares, quod excogitarunt interpretes, qui litterarum ob-  
 ligationis indolem cum ignarissimis ignorarunt. Nec legum au-  
 tores, nec veterum scriptorum monumenta fictam illam distinc-  
 tionem loquuntur adprobantque. Quid enim, quæslo, est  
*scriptura solemnis, chirographum solemne?* aut nullam notionem  
 habet, aut si aliquam cum illo coniunxeris, non nisi dicendum  
 est, illud esse, quod stipulationem in scripturam redactam con-  
 tinet, cuiusmodi exemplum occurrit in L. 40. D. de reb. cred.  
 & sexcenta alia in iure nostro. Verum exinde solemnes litteras  
 effingere ridiculum est. Scriptura enim nihil aliud ad caussam  
 adfert, quam ut probationem stipulationis factæ faciliorem  
 reddat. Totam item dirimit PAVLVVS in L. 38. D. de obl.  
 & action. Non FIGVRA LITTERARVM, inquit. SED ORATIO-  
 NE, QVAM EXPRIMVNT LITTERAE, OBLIGAMVR: quatenus  
 placuit, non minus valere, quod scriptura, quam quod voca-  
 bus, lingua figuratis, significaretur. Disturbat iterum B. a  
 LVDEWIG, qui vsum chirographorum ad argentarios mensa-  
 riosque refert l. c. ss. 4. quasi chirographum domi accipere ho-  
 mine ingenuo indignum esset. Sed contra rationem iuris anti-  
 qui omnia protulit. 1) Vir summus hñmani aliquid patitur, si  
 statuit, chirographa non dari nisi vñræ simul promittantur,  
 2) apud argentarios frustanea est chirographi exhibito, quia  
 nume-

17

numerata pecunia, nomen debitoris rationibus mensae inscribitur,  
& apud mensam nulla usurarum stipulatione, adeoque & nulla  
scriptura ad probandam stipulationem, opus est. Quamobrem  
chirographa potius obferebantur creditoribus ex arca sua domi  
numeraturis, quemadmodum continetur in cautione, quam recen-  
set PAVLVS in 40. D. de reb. cred. his verbis: *Lucius Titius*  
*scripsi, me accepisse a Publio Maevio quindecim mutua NUMERA-*  
*TA MIHI DE DOMO.* Confer sis CORNEL. VAN BYNCKERSHOECK  
in elegantissimo opusculo ad hanc Legem cap. 3. & SCHVLTING.  
ad CAII Inst. lib. 2. §. 12.

§. VI.

Scripturae veteris effectibus breuiter, & quantum Excep-  
tione-  
niis N. N.  
P. indeles.  
permittebant dissertationis cancelli, adumbratis (§. III. IV.) arque antiquissimo chirographorum vsu exhibitio  
(§. praeced.) iam de ortu effectibus non numeratae pecuniae  
paqua differere animus est, priusquam litteralis obligationis com-  
prehensionem ingrediamur. Hac enim non rite intellecta di-  
gestaque, omnis de chirographario contractu disputatio superua-  
canea est. Exceptionem autem non numeratae pecuniae non es-  
se, nisi illam, qua contendimus, pecuniam nobis non traditam es-  
se, cuius restitutionem aduersarius litigans a nobis urget, ipsa sa-  
ne terminorum compositio satis communis. Ab hac utique se-  
cernenda est replicatio de pecunia non numerata. Illa enim acto-  
ri, haec reo obmouetur: illa est proprie exceptio, haec autem  
improprie ita nominatur: cum omnia momenta quibus reus adver-  
sus actionem se tueri conatur, exceptiones dicantur. L. 2. pr. D.  
de exc. Fingamus enim sequentem speciem. Titius dedit Caio  
centum mutuo. Caius sua sponte non soluit, interpellaturque a  
Titio: Caius paratam esse pecuniam soluendi simulat, & a Titio  
apocham depositum, hic statim illam scribit, traditque Caio, qui  
accepta nunc cautione solutionem faciendam detrectat, Titius tan-  
dem

C

dem eiusmodi machinarum pertaesus, conditione certi ex mutuo pulsat morosum debitorem. At enim vero Caius, perfictae frontis homo, solutionem opponit, illamque ut prober, apocham a Tito acceptam producit, eiusque recognitionem a scribente desiderat. Creditor propriam manum confiteratur, sed ipse accipienda pecuniae se scripsisse reponit, illam autem numeratam esse, negat. Hoc igitur in casu actor, si ex arte loquimur, non excipit de pecunia non numerata, sed replicat, seu quod idem est, aduersus exceptiones debitoris actionis fundamentum tueretur. Exceptionis vero non numeratae pecuniae ut naturam recte euoluimus, ante omnia tenendum est, illam exceptionem in latiori significacione esse. Si enim ad personas ipsorum litigantium in iudicio reflectimus, duplex potissimum causae illorum momentum est, intuitu scilicet actoris, iuris sui perfectio mediaque ciuitate ad illam pertinentia, ratione rei autem, legitima defensio contra actionem prolatam. Sicuti omnia ab actore in litigio obeunda officia ad actionem eius pertinent, ita profecto omnia remedia, quibus reus intentionem aduersarii excludere studer; generali exceptionum nomine comprehenduntur. ARNOLD VINNIUS ad Inst. tit. de Excepr. pr. -- Evidem me non fugir, distinguere D. D. inter exceptionem facti atque iuris, hancque exceptionem κατ' ἔξοχην, ab auctoribus Iuris Romani nominari. Quare brevissime tantum haec diuisio exponenda. Exceptio in genere est medium se defendendi aduersus actionem moram, adeoque omnium momentorum allegationem complectitur, quibus actio excludi potest. Nam vero actio vel stricto iure competit, exceptioque ex aequitate iuri stricto opposita indulgetur, vel minus. Priori in casu exceptio iuris, posteriori autem facti adpellatur. Illo in casu praetoria, hoc autem civilis est. Exceptiones facti, quod attinet, illas vel ita comparatas esse, ut excipiens ad factum suum actoris intentionem plane euentis prouocet, vel non, seu contendit, factum ad quod actor obligatus est, & cui fundamentum ipsius

ipsius actionis inhaeret, ab illo omissum esse. Prioris generis affirmatiuas; posterioris vero negatiuas, quae teste S C H A V M B V R G I O Princ. Prax. iud. Part. I. Sect. 1. membr. 2. c. 4. ss. n. tacite intentioni actoris ita cobaerent, ut cum effectu agere non possit priusquam easdem remouerit, adpellabimus. Ne cerebrinae videantur species, de singulis exempla dabo. Ita exceptio solutionis est affirmatiua; factum enim debitoris inuoluit, quod si verum, actionem irritam facit. Exceptiones autem rei non traditae, non impleri contractus &c. sunt negatiuas, cum factum ab actore omissum esse arguant, a quo tamen totius actionis fundamentum dependat. De hisce, exceptionibus facile constat I. illas esse propositiones simpliciter negantes. Qui enim istiusmodi exceptionibus viritur, contendit, actorem factum omisisse, quod subire debebat, si actione experiri veller. II. Totius actionis fundamentum negare atque euertere, quoniam negant, ea facta esse ab actore, quae necessario requiruntur ad fundamentum actionis, & sine quibus illi nulla competit actio. Iam adplicemus ad exceptionem non numeratae pecuniae, quae tota negatur. Nam simpliciter illa negatur, pecuniam esse traditam, quam alter sibi reddi intendit, adeoque totius conditionis fundamento oppositum est, quae illud ex numeratione pecuniae reperit, & cui nullus locus, nisi illa numerata sit. His positis sua sponte nunc colligitur, hanc exceptionem non prætoriam esse, cum non detur contra actionem stricto iure, aduersante æquitate, competentem, quod ex infra dicendis vberius patebit. Vid Illustr. GOD. LUDOV. MENCKEN in diff. de vera indole obligationis litterarum ss. 13.

### §. VII.

His præmissis, facile erit ad intelligendum, quae Exceptio exceptionis non numeratae pecuniae sint constitutiva, N. N. P. quea igitur, vt omni nostro officio fungamur, euol nonnisi

C 2

uenda

aduersae venda sunt. I) Exceptio non numeratae pecuniae ob-  
 condicatio- moueri non potest, nisi conditio certi ex mutuo ventila-  
 nem ex tur. Haec enim exceptio ita est comparata, ut exci-  
 mutuo da- piens plane negat, sibi pecuniam esse numeratam, cu-  
 tur. ius restitutionem alter vrget (per §. præced.). Iam vero mutu-  
 um est ille contractus, quo vſus rei fungibilis in alterum trans-  
 fertur, ita ut tantumdem restituatur; atque contractus est realis,  
 cuius cauſa dependet a rei traditione. Quare qui conditio  
 certi ex mutuo experipi conatur, fundamentum actionis in rei  
 fungibilis traditione collocare deberet, adeoque in pecuniae num-  
 eratione alteri facta; cum vulgati iuris sit, pecuniam tam latissimo  
 significatu venire, ut omnem rem fungibilem exprimat. Qui  
 igitur exceptione non numeratae pecuniae cum effectu vſurus  
 est, illam actioni reponere debet, cuius fundamentum ponitur in  
 pecuniae numeratione, consequenter conditio ex mutui contra-  
 ctu oriundae, atque frustraneo ausu eadem opponeretur obligatio-  
 ni, cuius cauſa non est numeratio pecuniae. Eadem ratione item  
 rescripto dirimere, nullus dubitauit Imperator ALEXANDER in  
*I. 5. C. de N. N. P.* vbi sequentem in modum cauſam definit:  
*aduersus petitiones aduersariorum si quid turis habes, uti eo potes, igno-*  
*rare autem non debes, non numeratae pecuniae exceptionem ibi*  
*locum habere, VBI QVASI CREDITA PECVNIA PETITVR.* Cum  
 autem ex præcedente cauſa debiti in chirographum quantitas re-  
 digitur, non requiritur, an tunc, cum cauebatur, **NVMERATA**  
**SIT:** sed an iusta cauſa debiti præcesserit. Imperator in casu  
 propositio sollicite distinguit cauſam, ex qua chirographum scri-  
 ptum datumque est. Si propter creditum exhibutum sit, admittit  
 exceptionem non numeratae pecuniae, quia a numeratione credi-  
 tum suam substantiam capit, & absque pecunia numerata nullum  
 mutuum datur. Si vero alia debendi cauſa subsit, frustraneam es-  
 se iubet **A V G V S T V S;** addita ratione, quia tunc non quaeritur,  
 virum pecunia numerata sit, sed an iusta debiti cauſa alia præ-  
 cesserit.

cesserit. Supponit quidem Imperator chirographum ad caußam mutui accessisse; sed cum mutuum etiam absque chirographi exhibitione contrahi possit, palam omnino est, hac exceptione etiam recte uti debitorem contra mutuum nullo chirographo munitum. Hoc enim confessionem crediti saltem continet, & caußam obligationis ante exclusionem exceptionis non numeratae pecuniae mutare nequit. Quanto igitur condicō certi ex mutuo in iudicio profertur, actor omne caußae suae momentum quaerere debet in pecunia alteri credita numerataque, cum mutuum non sit, nisi pecunia profiscatur L. 2. §. 3. D. de reb. cred. Nihil enim rationi magis conueniens est, quam in illo casu, vbi per rei traditionem alteri obligamur, negare obligationem, si res non tradita sit.

### §. VIII.

Exceptionis non numeratae pecuniae notionē Onus pro-  
perpensa, porro absque omni negotio confidere pos-  
sumus.

II. *Debitorem conditione mutui conuentum, bac exceptione opposita, immunem esse ab eius probatione il-*  
*lamque deuoluere in creditorem, qui docere debet, pecuniam debi-*  
*tori numeratam esse.* Si enim debitor conditione mutui pulsatur, creditor fundamentum huius actionis in pecunia alteri credita numerataque collocare debet (§. praeced.) atque debitor, si vitetur exceptione non numeratae pecuniae, simpliciter negat totam actoris intentionem, fundamentum actionis (§. cit.) consequenter propositione absolute negatiua incedit. Verum enim vero, qui factum absolute negat, probatione supersedere debet, cum per rerum naturam impossibile sit, illam subire. Quamobrem debitor exceptione non numeratae pecuniae usus, ab eius probatione immunis est. Eamdem naturalis rationis sanctionem sequuntur DIO-  
CLETIANVS & MAXIMINIANVS AVG G. qui in L. 23. C.

C 3

ita

ita rescriperunt: *Autor, quod adseuerat, probare se non posse profitendo, reum necessitate montrandi contrarium, non adserit: cum per rervm natvram factvm negantis probatio nulla sit.* Creditor autem instituta condicione ex mutuo, numeratam esse pecuniam debitori, adserit, cuius solutionem virget, adeoque propositione adfirmando intentionem suam comprehendit. At enim vero numeratio factum inuoluit, quod absque idoneis caussis adsumi nequit, nulla eius a legibus effecta presumtione. Quamobrem certe actor onus probandi numerationem pecuniae, quam reus in dubium vocat, subire debet, adeoque debitor opposita exceptione N. N. P. omnem probationem in creditem deuoluit. Nihil igitur singulare est in hac exceptione, quod sibi DD. fingunt, nihilque quod naturam exceptionis excedit, si ea prolata, non excipiens, sed is, aduersus quem excipitur, contrarii probationem suscipere adstringitur. Vulgatum quidem est: reum excipiendo fieri actorem, adeoque exceptionum, quas actori reponit, probatione eadem prorsus ratione fungi debere, ex qua actor fundamentum actionis docere tenetur. Sed, prout solet, indeterminatam regulam comprehendit, multisque exceptiones admittit, quas & ipsi profitentur. Hinc ad intelligendum non difficile, quam cerebrina sit ista priuilegiatae exceptionis adpellatio. Quo iure enim aliquid priuilegii inesse dicamus, quod rei notioni naturaeque originem debet? ego certe non video, atque mecum cordatores interpretum ouid. Illustr. M E N C K E N tit. diff. ff. 27. Luculenter & ita manifeste rationes eiusdem explanarunt DIOCLETIANVS & MAXIMINIANVS Imperatores in L. 10. C. de N. N. P. vt, qui adhuc calligant, nimium ferre non possint, sequentique ratione rescripserunt: *Adseueratio debitum solutum contendentis temporis diuturnitate non excluditur: nec huic obloquitur, quod exceptio non numeratae pecuniae certa die non delata querela prius evanescat: cum inter eum qui factum adseuerans, onus subiit probationis* ET NE.

NEGANTEM NVMERATIONEM (CVIVS NATVRALI RATIO NE PRO-  
BATIO NVLLA EST) ET OB HOC AD PETITOREM EIVS REI  
NECESSITATEM TRANSFERENTEM, magna sit differentia. Si  
hanc Imperatorum epistolam curatius consideramus, statim liquet,  
AVGVSTOS in specie proposita exceptioni solutionis diuersam,  
& ab exceptione N. N. P. distinctam indolem seruandam esse  
praecepisse, illamque temporis diuturnitate, quae huic præfinita  
est, non excludi. Cui rescripto forsitan occasionem dedit que-  
rentis sollicitudo, qui scilicet iisdem temporum cancellis solutio-  
nis exceptionem terminari putabat. Rationem decisionis Impe-  
ratores addunt, quod magna differentia deprehendatur solutionem  
inter, quae ab adserente probanda, probarique possit, atque ne-  
gationem de non numerata pecunia, cuius probatio naturali ratio-  
ne, nulla est, atque ideo eius necessitatem ad ipsum creditorem  
deuoluit. Nulla igitur in favore legum erga debitores quaerenda  
est ratio, si debitor probationis immunitate gaudet, numerationem  
pecuniae negans; sed tam in mutui, qua contractus realis, excep-  
tionisque ipsius natura aduertitur. Mutuum enim nullum adest,  
si pecuniam debitor non numeratam acceperit, quare excipiens ne-  
gat simul mutuum esse celebratum. Sed nonne demonstrare tene-  
tur contractum esse perfectum, qui ex illo alterum obligatum ha-  
bere cupit? Desine igitur mirari, quod creditor pecuniae nume-  
rationis probatione fungatur, debitore contra excipiente. Quae  
cum ita sint, doctrinae huius rationem ad illud eriam mutuum  
extendendam esse, propugnare nullus dubito; quod ipsa debi-  
toris chirographi confessio munitum est, atque ideo demon-  
strabo.

III. Creditorem iisdem ex rationibus pecuniae numeratio-  
nem probare teneri, licet debitor acceptam pecuniam in chirogra-  
pho confessus sit. Eiusdem dedi in membro praecedenti, actorem  
hac probatione non supersedere posse, si debitor de non nume-  
rata

tata pecunia questus sit. Sed nondum in portum te contulisti creditor! etiam si de propria debitoris confessione chirographo expressa, sollicitus fueris. Debitor nondum ad angustias redatus est, licet scripserit, te pecuniam numerasse. Fac enim, debitorem manum quidem suam confiteri, sed statim excipere, se pecuniam non accepisse, seque pro more sub spe numerationis scripsisse, atque chirographum exhibuisse. Prouocas quidem ad dextram fidemque scriptam debitoris, sed frustra. Scripturam quidem contra scribentem probare posse lubenter largior. Sed an in eiusmodi negotio, quod omnem substantiam a rei traditione capit, vtramque faciat paginam, ambigo. Si enim debitor obicit, se chirographum ante dedisse, quam nummi sint dati, ne difidientia sua creditoris se suspectum reddat, nullamque autem post accepisse pecuniam; causa sane ad pristinum statum reducitur, atque istius generis exceptions in propositiones mere negatiwas iterum resoluuntur. Qui igitur fieri potest, ut ex eiusmodi chirographis res inter litigantes acta in lucem protrahatur, si debitoris exceptionibus contra fidem suae scripturae aliquid dandum sit? Aut enim eiusmodi subterfugia penitus praecludenda exstirpanda que sunt, plenissimaque fides proprias scripturae contra scribentem tribuenda est, aut admissis eiusmodi querelis fidem scripturae, quam blandis persuasionibus delinimentisque subductam esse, non repugnat, omnino fluctuantem habere debemus. In tanto collisionum confictu quid definitum esset, veteres diu ancipites haeserunt, donec Imperatores tempora definiendo aut creditoribus aut debitoribus inservientia, opus desperatum per medium profundum quasi eundo profligarunt. Verum antequam hoc constitutum effectumque est, subsistendum erat in natura mutui exceptionisque non numeratae pecuniae, & quidni tunc tenendum est? declarabo. Creditor condicit pecuniam, debitor negat sibi numeratam esse, creditor producit chirographum debitoris, debitor reponit, se ante dedisse, quam pecunia tradita sit, nihil que

que vero deinde accepisse. Nonne ad labefactandam actionem exceptiones chirographo oppositae idoneae sunt? quae si veritate non distituuntur, non quaeritur, vrum debitor scripsit, sed an creditor pecuniam vere numerauerit, quam condicere conatur. Debitori enim, si propter confessionem in chirographo factam, probatio negatiuae propositionis, *pecuniam sibi numeratam non esse*, injungeretur, ad impossibile efficiendum certe condemnaretur. Cur vero debitorem tantis illaqueamus difficultibus? Creditor enim nondum ad angustias redactus alius probandi mediis vti potest. Si non habet, periculum suum erit, quod cautius maioriue sub circumspectione agere neglexerit. Scriptura non est causa obligationis, sed pecuniae numeratio, qua igitur non secuta, illa repeti nequit, *L. 2. §. 3. L. u. D. de rebus credit.* His delibatis sane non difficile est ad intelligendum, quam parum chirographi exhibito conferat ad firmandam mutui caussam, non exclusa exceptione non numeratae pecuniae, aut illa iustis cancellis terminata. Creditor enim nihil effecturus est, nisi de numeratione constet. Quis vero probabit? nemo certe nisi creditor, profecto non debitor. Sed instas, probare paratus fuit, qui chirographum a debitore exhibitum offert. Bene! quidem conatus fuit, sed in illa succubuit, depulsa a debitore chirographi specie fideque. De nouo vrges, praesumptionem esse contra scribentem, quod acceperit pecuniam, quam accepisse confessus est. Sed nos sine legem sanae rationis sanctionemque *DIOCLETIANI & MAXIMINIANI* supra expositam? *negantium per rerum naturam nullam esse probacionem*, atque adeo in aduersarium reici onus probandi, qui in affirmante harum propositionum contradictione oppositarum fundamentum agendi collocat. Vides itaque, quam titubans fuerit chirographorum fides, si ex sua tantum indole aestimarentur, quantaque vero sapientia Imperatores excrescentem malitiam debitorum pariter atque creditorum compescuerint, exceptionem nostram certis temporibus circum-

D

scriben-

scribendo. Debitorum, quod non amplius eiusmodi diuerticula in aeternum quaererent protraherentque, numerationem dissimulando. Creditorum, quod eo magis a veteratorum facinoribus absterreantur, qui tam saepe miseric debitoribus, necessitatis confandi aes alienum pressis, blanda sub spe credendae pecuniae chirographa e manibus extorquere solebant. Eiusmodi circumstantiarum complexus tandem litteris non solum plenae probationis virtutem, sed efficaciam post lapsum temporis lege definiti ciuiliter obligandi, quantumuis scriptor nihil acceperit. Quo facto ipsam contractus caussam firmissimumque robor litterae accipiunt, atque disputatio omnis de pecuniae numeratione frustranea est, nihilque amplius operari potest. Quare nunc luculenter constare credo, non numeratae pecuniae exceptionem depravatis Romanorum moribus non adscribendam esse. Natales suos debet contractus mutui naturae bonaeque fidei, quam totum hoc negotium depositit. Iniquum foret a debitore pecuniam petere, quam nunquam accepit, & nefandum crimen esset reum condemnare, pecuniam chirographo comprehensam illi reddere, qui nuspiam dedit. Sed cum summa aequitas ratione vnius, saepissime summam iniquitatem intuitu alterius gignat, moderamina viri usque amplecti debuerunt Cæsares, quae vtrumque contrahentem prouidum diligentemque efficiunt. Hinc malevolis veteratoribus atque infractionibus suas proposuerunt paenas, quatum exempla inuenies in Cod. Theodos. Lib. XI. tit. 27. Si certum petatur de chirographis, pluraque alia in iure Iustinianeo. Sed non desunt, qui in tanta naturalis constitutionis luce mirabili impetu feruntur in exceptionem non numeratae pecuniae, atque de illa, si eam omnis nequitiae matrem perhibent, sinistre cogitant. Praeter multos ex instituto de sudauit HERMANNVS ZOLLIUS, ut commonstret debitori, probationem exceptionis huius non secundum naturalem aequitatem solum, sed etiam secundum ipsa Iuris Romani principia iniungendam esse, in *discursu de exceptione N.*

*N. P.*

N. P. tbes. 5. & operosissimus fuit, in congerendis ratiunculis, quibus euidentissimas veritates conuellet. Sed cauillatores, non interpretis, personam agit, nec quidquam profert iurisconsulto dignum. Confutare vellem haec commenta, nisi iniuriosum me erga lectors crederem, si cum milite tam leuis armaturae congrederer. Romana plane ignorat, nec ullum in cerebro locum naturali notioni reliquit. Nobiliorem potius aduersarium eligen-  
dum volo. Prodeas iterum in scenam, praestantissime a L V D E-  
W I G , licet enim Tua in artem nostram merita aeternitati satis  
consecrata sint, & licet consummatae eruditionis Tuae monimen-  
ta ad extrellum vsque veneraturi simus, a nobis tamen impe-  
trare non possumus, vt Tibi bellum non decernamus, quod Tu  
celeberrimae Romanorum genti sapientissimisque legislatoribus idem  
indixisti. Adgrosoris partes non tuemur, sed propulsandae iniu-  
riae sacratissimo Caesari illatae; arma arripuimus. Exhibe igitur  
libellum: item contestabimur. Caussam Tuam recitas *cir. diff.*  
*cap. 2. §. 4.* *Vti enim cum Kalendaria domestica, tum mensae*  
*rationes probare oportuerat proscriptente, ratione aequitati ac rationi*  
*parum aduersa: sic chirographum aduersus scribentem pro-*  
*ducitur, insar probationum reginae, id est, confessionis ab adver-*  
*sa parte. Qnod cum ita sit, vix adsequi licet coniecturis, quare*  
*chirograpbo producbo, nibilominus pro scribente iuris praesumtio*  
*fit facta. Quasi is scripsisset frusta, & sub spe numerationis ina-*  
*ni. Nulla vero pro scribente hic iuris praesumtio, nec opus*  
*eiusmodi praesumtione. Natura enim exceptionum negatiuarum*  
*est, quae depositit probationem ab eo subeundam, qui contrariam*  
*adfirmantem propositionem amplectitur, nullumque igitur pro*  
*scribente introducendum fuit priuilegium, qui naturali exceptio-*  
*nis indole satis munitus est. Creditor repetit pecuniam creditam,*  
*negat debitor se accepisse, idemque chirographo obiicit, quod*  
*igitur minus probatum relinquit thema probandum. Adeoque*  
*pergis dominus chirographi credendus sit veterator, deceptor, bo-*

mo. nequam, qui pecuniae redditionem urget, quam ipse dederat nunquam. Minime! bona frugis homo manebit, si antea fuit, sed actor est, condicione certi ex mutuo vitetur, ergo docere debet numerationem pecuniae. Nullam enim conditionem ex litteris in suos vsos convertere potest, tempore nondum praeterlapsò, illoque non praeterito chirographum flocci habendum est, negatiua debitoris exceptione nondum euacuata. Iam audiamus declamationem: *Inconcinna haec omni aeuo, genti, aequitati. Quo enim sine quaeso! scriptum chirographum, si non probauerit aduersus scribentem?* Probat sed non in mutuo, vbi realis numeratio probanda illis modis, quae non per negatiuas exceptiones debitoris labefactantur. Probat & in mutuo, immo obligat, si tempus exceptioni N. N. P. prae finitum praeterlapsum sit, ante illud frustraneum est. *Cur non in stipulatione, pergit orator, reo datum idem, vt gratis affirmare ei liceat, se ab altero praeuentum, deceptum, iudicium?* Miraris! sed desine, obsecro. Tantum Virum ignorare stipulationis vim obligandi dependere vnicę a verborum solemnitate, piaculum esset, si crederem. Quodcumque vero negotium non dependet a rei traditione, id per rei non traditae exceptionem frustra impugnatur. Atqui stipulationis efficacia substantiam nullam capit a rei traditione, ergo frustranea contra stipulationis validitatem esset exceptio N. N. P. & quidquid non tollit verborum solemnitatem illud stipulationem irritum non reddit. Atqui, ergo. Sed quid logicus ad declamatorem? *replicas; audi & Iureconsultum.* Verborum obligatio erat contractus stricti iuris, valida ipso iure etiam si dolo metuque quid gestum esset. Praetorius auxilio opus erat ad labefactandam actionem iure ciuili non currumentem, atque vi rechnis, fallaciis fraudibusque decipientis obuiam iretur, *AQVI-*  
*LIVS GALLVS* proponere debuit formulam de dolo malo. Verum in mutuo iure honorario supersedebant contrahentes, cum numero ratio non facta & dolus creditoris id ipsum redderent nullum. *Ita-*

ne omnes omnino homines credendi mali & veteratores? Neutquam! coram tribunali enim agenda res, vbi habetur iustus, qui probat; secus apud censores morum. Et omnis debitor ita stupidus, ut antequam acceperit, se scribat accepisse? Aut si accesserit fraus requirendi chirographum ante numerationem, num ita bardus debitor, ut obmutescat & negligat officium repetendi? Orationum figuris incedit Vir summus, quo persuasionibus lectorum animos occuparet, qui argumentorum inopiam sentiunt. Quaeo, quodnam est opinabile magis, creditorem ex chirograpbo agere sine causa, & petere indebita, quam diuerticula quaere re morosum & obaeratum abitorem? Vtrumque proh dolor! multoties contingit. Optandum esset malitiosos non superare bonos viros & numero & pondere. Quidne est deliciatus hos ab illis distinguere? moderamen igitur statuendum erat, quo vtriusque malitia compescatur. Pudet, omnes fere gentes buius iurisprudentiae; En reformatorem; En Ludewigianam iurisprudentiam: Inde exulat calumniosa N. N. P. exceptio in cambiis. Errore manifesto prolabitur. Non in totum exular, sed ex processu executiuo in ordinarium reconuentioemque reiicitur. Neque ideo habent debitores, quod querelas mouant, de creditorum fraudulentia. Non raro audiuntur, & malitia foeneratorumque insatiabilis habendi cupiditas tam in cambio cernitur, quam aliis negotiis. Omnis fides, usus, ratio devogata fallacibus chirographis. Soles cambiis gloria relicta litterarum obligationis. Aut prima aut posterior propositio est falsa: cum cambia, si litterarum obligatio illis inesse, chirographa Romana effecta esse, quis est, qui non videat? Absit autem a cambiis litterarum obligatio. Exceptio non numeratae pecuniae quidem rigorem cambiam diminuere nequit, nisi in continenti probari possit, sed tamen admittitur tam in processu exsecutiuo, si statim liquida fieri possit, tam per modum reconventionis. Causa sic declamata ad se ipsum redit Vir consummatissimus & gentium Doctoris personam induit

ut ignorantiam IVSTINIANI atque sui Tribonianii in lucem protraheret. Sed tamen inquit, rationem eius iuris aperiā pārum proditas adhuc & forte Iustiniano ipse & illius consuli Triboniano ignorata prorsus. Sed quasnam aperiā rationes? Argentarios internuntios fuisse chirographorum creditoribus exhibendorum tradit fingitque, quas iam supra profligauimus. Suntne haec ignorata Iustiniano atque Triboniano? Lugemus, & vere lugemus, Diue IVSTINIANE, Te ignorasse iura Tui temporis. Eheu! quam tristis rationis adspectus! Ignoras AVGVSTE negotia argentariorum, ignoras, quorum officia Nou. 136. ordinis aingesque. Grauis certe iniuria! Sed non diuitius inhaerebo. Lectori esto iudicium an nodum extricauerit hic magnus Apollo,

### §. IX.

Exceptio  
N. N. P.  
stipulatio-  
ni obmo-  
nueri non  
poterat.

His ex principiis porro intelligimus IV) Exceptiōnē non numeratae pecuniae aduersus scripturam, que stipulationē continebat, frustraneam esse, nibilque operari. Chirographum enim, quod stipulationē continebat, verborum obligationē complectebatur in scripturam redactam. Sed in verborum solemnium contractū obligatio ex verbis figuratis ore prolatis descendebat, atque vnicē ab illis dependebat (per vulgata Iuris Romani principia) adeoque aliae causae, quae verba solemnia non tollebant, hanc obligationē impedire non poterant. Iam vero exceptio non numeratae pecuniae nonnisi cum effectu opponi potest illi negotio, cuius substantia a pecuniae numeratione realis desumitur (§. praeced.) consequenter contra verborum obligationē nullum inuenire potuit locum, cum numeratio nihil ad eius causam faciat, illaque inconcussa maneat, licet nihil numeratum sit. Quare ponamus stipulationē litteris exceptam chirographum complecti, tunc certe scriptura nihil facit ad firmādam

3

dam obligationem, quae verbis solennibus contracta est: sed eius probationi vnicē inferuit, si forsitan debitor illam negāturus esset. Hinc, si scripturam suam diffiteri non posset, obligationem solennibus verbis contractā amplius in dubium vocare non poterat, adeoque iure ciuili obligatus erat ad numerandam pecuniam, quam reddere promiserat, quantumuis nihil accepisset. Quare contra eiusmodi chirographum exceptionem N. N. P. superuacaneam esse, nihilque operari extra omne dubitationis punctum est. Itane igitur restituere debuit, quod nunquam accepit? Iure ciuili per notionem ac naturam stipulationis obligatus erat, & centum exceptionis non numeratae pecuniae illum liberare non potuissent, nisi Praetor iniquum reputasset, creditorem pecuniam exigere posse, quam debitori nuspian numeravit. Manifeste enim in dolo erat, adeoque exceptione doli mali tuebarur debitorem aduersus actionem iure ciuili competentem, quod exemplum apud SCAEVOLAM in L. vlt. pr. D. de doli mali except. illustrat, vbi actio ex chirographo ex stipulatu mota, doli autem exceptione euacuata occurrit. Ex quo SCAEVOLAE responso simul adparet, nullam olim ex litteris conditionem concessam fuisse, actionemque potius ex verbali contractu deriuari, quae nominabatur actio ex stipulatu ex chirographo, cum in scripturam redacta esset verborum obligatio, cuius virtute stipulator agebat aduersus promittentem, non ut ex chirographo caussam agendi desumeret, sed ut scriptura a promissore subscripta, verborum solemnium probationis copiam subministraret.

V. Exceptionem non numerationis pecuniae, sua natura distinctam fuisse a doli exceptione. Exceptio enim doli mali iuri Praetorio natales debet, eamque ob caussam prodita est, ut actiones stricto iure ciuili competentes eius virtute effectibus suis desistuantur. Praetorum vero auxilium minus desiderabatur in negotiis, quae ipso iure ciuili inualida erant, si fraus malitiaque  
con-

contrahentium concurreret. Iam autem exceptio non numeratae pecuniae, secundum suam proprietatem aduersus conditionem ex mutuo locum haber (§. praec.) quod ipso iure nullum est, si pecunia non tradita sit, quam condicere conatur, qui enim in dolo, pecuniamque contra bonam fidem repetiturus est, quam nuspianum dedit. Vides igitur, nullam exceptionem N. N. P. praeatoriam esse, adeoque a doli mali exceptione satis se distingue-re. Mutuum enim ad bonae fidei negotia referri, non est, quod demonstrationem exigat, cum rem satis perorarint alii. Nullum est negotium stricti iuris, nisi eius obligatio proficiscatur ex formularia solemnitate, atque inter contractus sola verborum obligatio hanc indolem habet, ceteri autem omnes bonam fidem depo-scunt. Sed ut omnes omnino eximam scrupulos, doli exceptio-nis naturam paullo curatius considerabo. Quem in finem in me-dium pro feram §. 2. *Inst. de except.* vbi vestigia eius luculen-ter sequitur, illamque cum exceptione N. N. P. confert Diuus IVSTINIANVS: *idem iuris est*, inquit, *si quis QVASI CRE-DENDI CAVSSA pecuniam stipulatus fuerit, neque numeravit.* Nam eam pecuniam a te petere posse, certum est, dare enim te oportet, quum ex stipulatione tenearis. Sed quia iniquum est, eo nomine te condemnari; placet PER EXCEPTIONEM PECVNIAE NON NVMERATAE te defendi debere, cuius tempora nos consti-tutione nostra coarctauimus. Cum §. 1. *Inst. b. t.* Imperator exceptionem doli mali atque metus negotiaque stricto iure valida exinde propter aequitatem effectibus suis defitui explanauerit; idem iuris esse in illo casu adfirmat, si aliquis sibi pecuniam qua-si credendi caussa stipulatus fuerit. Hoc enim in casu negotium non ipso iure nullum est, sicut in mutuo, quod plane deficit, pecunia nondum tradita. Hanc Imperatori fuisse mentem, liquet ex verbis: *nam eam pecuniam a te petere posse eum, certum est.* Obligatio promissoris dependebat a verbis sollemnis, adeoque ex stipulatione actio locum habebat, quantumuis pecunia credita num.

numquam sit, quod verba Caesaris subsequentia satis declarant. Ne vero stipulatio vinculum iniquitatis sit, ut nimirum alter reddere teneatur, quod nunquam accepit, Imperator eum per N. N. P. exceptionem defendi iubet. Sed nunc nodus adesse videtur Gordius, quem ut extricemus, operam nauabimus. Si enim ad labefactandam stipulationem reo proficia est non numeratae pecuniae exceptio, illam profecto praetoriam esse, arque a doli defensione non diuersam, clamabunt dissentientes. Sed salua res est. Exceptio doli ideo a Praetore dabatur, ut laetus per dolum alterius in negotio celebrato iure ciuili subsistente contra actionem decipientis defendaretur. Iam vero ponamus, credendi caussa aliquem pecuniam sibi stipulatum fuisse, nullamque autem debitori numerasse, sane in dolo esse, si actione ex stipulatu experiret aduersus spondentem nemo ambiget. Sed qua ex ratione in dolo erat? Nulla certe, nisi quod pecuniam non credidisset, quam tamen ceu creditam reperturus erat L. 7. & 8. *De de doli except.* Praemittebantur enim plerumque numerationi stipulations L. 7. D. de Nouat. & deleg. Quamobrem exceptio doli mali isti opposita idem inuoluebat, ac si exceptione N. N. P. repelleretur in omissa numeratione. Sic factum est, ut ratio ne effectus eiusmodi exceptiones saepissime pro se inuicem substituerentur, quamvis ratione originis satis diuersae fuissent. Quare haec tenenda esse reor I. exceptionem N. N. P. *solum sufficiere*, si ex caussa mutui actio aestimanda fuerit. Haec enim sola pecuniae numeratione perficiebatur, atque si non numerata est, reus ipso iure ciuili tutus est, nullumque a Praetore imputandum auxilium. II. Si vero verborum obligatio accesserit, exceptionem N. N. P. cum exceptione doli coniungendam, illamque sub huius forma proponendam fuisse. Rationes ipse AVGVSTVS laudauit, cum nimirum verba solemnia reum obligatum effecerint, licet nihil pecuniae acceperit. III. Exceptionem doli verbis in facta temperatis, aliquoties sub nomine N. N. P. exceptio-

E

ptio-

*ptionis propositam esse, prouti VLPIANO acceptum ferimus in L. 4. §. 10. D. de dolii except.* His positis iam rationes constant, cur IVSTINIANVS exceptionem doli sub N. N. P. exceptionis adpellatione l. c. proposuerit, simulque illam in hoc casu lapsu biennii euacuari iussit; cum perinde sit, vtrum stipulatio illa in scripturam redacta fuerit, an vero in verbis ore prolati subsliterit, cum in vtroque casu promissori non desint remedia, dolum stipulatoris coercendi.

## §. X.

Natales  
litterarum  
obligatio-  
nis.

Antiqua litterarum indole non explanata solum (§. 2-6.) sed etiam exceptionis non numeratae natura effectibusque expositis (§. 7-9.) tandem properandum dum est, ad litterarum obligationem contractumque chirographorum. Nullam olim ex litteris enatam esse obligacionem demonstrauimus (§. IV. & V.) etiamsi solemnia stipulacionum verba scriptura excepta fuerint. Omne creditum aut re aut verbis contrahebatur, & pecunia non numerata, aut condicione certi nulla declarabatur, exceptione N. N. P. opposita, aut actione ex stipulato infirmabatur exceptione doli (§. praec.) Illas autem exceptions perpetuas fuisse, manifesti iuris est & nemo ambiget, qui doctrinam de exceptionibus perspectam habet. Sed cum exceptionis non numeratae pecuniae pariter ac de dolo in hoc casu ea natura sit, & omne onus probandi numerationem in actorem deuoluerent, & tam saepe debitores ad haec diuerticula tam temerarie confugerent, ut creditores operosissimis probati-  
nibus vexarent defraudarentque, si in probatione defecissent, ne-  
cessarium utique maximeque reipublicae expedire videbatur, ut  
eius modi calumniarum ambagibus obuiam iretur, atque tempora  
contraherentur, ne in infinitum de non numerata pecunia litigetur. Eum in finem certum tempus definendum erat, intra  
quod

quod eiusmodi chirographum e possessore repertendum esset, sub iactura non numeratae pecuniae aut doli exceptionum. Antiquissimum omnium quae inueniuntur, vestigium deprehenditur in fragmentis codicis HERMOGENIANI, quae exhibet Vir summus & de veteri iurisprudentia immortaliter meritus ANT. SCHVLTINGIUS in Iurispr. Antej. pag. 709. seqq. vbi Tit. i. de cava & non numerata pecunia AVRELIVS rescripti ALEXIO! Exceptionem non numeratae pecuniae non anni, sed QVINQUENNII spatio defovere, nuper censuimus. Scripta VII. Idibus April. Syrmio, Caes. A. Coss. Ex hoc veteri fragmento statim adpareret, exceptionem N. N. P. olim, nimis ante constitutionem ab eodem Imperatore profectam, ad quam idem in hac epistola se refert, anni spatio terminatam, ab AVRELIO autem ad quinqueennium iterum extensam fuisse, ea fortassis ex ratione, cum annus minus sufficeret omnibus reprimendis creditorum fraudibus. Caesaris nomen ita obscure relatum ambiguos reddit veterum monumentorum interpres, quem verum legi auctorem agnoscere velint, cum nullus Imperatorum solo AVRELII nomine absque cognomi ne obueniat. SCHVLTINGIUS in not. 2. l.c. conjecturas pro C. AVRELIO VALERIO DIOCLETIANO adfert, qui solus quidem ab initio sceptra tenuit, priusquam M. AVRELIVM VALERIVM MAXIMIANVM in consortium Imperii adoptauerit. Sed inspectio legis 8. C. de N. N. P. totam coniectandi rationem evertit; vbi Imperator ALEXANDER iam meminit querelae non numeratae pecuniae, & reliquum tempus ad heredes transire iubet, non ut integrum spatium ex suis personis in usus suos convertere possint. Imperatorum autem ALEXANDRVM multum ante tempora DIOCLETIANI reipublicae praefuisse nemo ignorat; ABRAH. WIELING in Iurispr. restituta part. 2. pag. 161. & 162. ita ut probabile magis videatur ipsum ALEXANDRVM huius rescripti auctorem esse, qui AVRELII praenomine etiam usus & integro nomine M. AVRELIVS ALEXANDER SEVERVS appellatus fuit. Hic verus quinquennij

E 2

auctor

auctor mihi videtur, cum paullo ante illum anni tempus constitutum esse videatur ad excludendam exceptionem N. N. P. Semel vero hac exceptione certis temporum cancellis, circumscripsit, oriebatur obligatio per indirectum ex litteris, ita ut chirographum lapsu temporis lege introducti firmatum praesumtionem numerationis subministraret. Duo interim remedia debitori proficia erant, nimirum I) *conditio causa data causa non secuta aut sine causa*, L. 4. C. de condit. ex lege, quae in hoc casu eosdem prorsus effectus inuoluunt & II) querela non numeratae pecuniae, qua contestabatur querens coram iudice, se chirographum subspe creditam accipendi pecuniam dedisse, nullamque autem deinde accepisse. Quo facto temporis lapsum interrumpebat, exceptionemque iterum perpetuam efficiebat. Sunt, qui hanc querelam a Iustiniano inuentam fuisse adserunt, sed horum visiones rescripto ALEXANDRI confutantur. Conditio enim ad repentinum chirographum indebet datum praesentem possessorem & vt eius in iudicio copia haberi possit, requirebat, adeoque sola in omni casu minus sufficere videbatur dolo fraudibusque eius obuiam eundi. Cum enim nunc per lapsum temporis lege definiti excluderetur N. N. P. exceptio, maxime sane res debitoris pericitabatur, vt chirographum vel repeteret, vel infirmaret, exceptionemque perpetuam redderet. Quare scribenti omnibus remedii prospiciendum erat, quibus imminentia auertere pericula diligenterque in rebus suis cauendis se praestare possit. Caeterum confer sis SCHVLTING. in *Iurispr. antej. p. 163.* & Illuſtr. MENCKEN cit. diff. ſ. n. § 12.

### § XI.

Iustiniani Exclusa per temporis lege definiti lapsum exceptione N. N. P. iam chirographis statuta est validissima praesumtio, omnem prorsus contrarii probationem respuens, scribentem nimirum, accepisse pecuniam, quam in

in chirographo confessus est, quod in tanto temporis tractu non retractauerit. Quare nihil prorsus impediebat, quo minus auctor nunc illo vti potuerit ad probandum creditum nulla amplius exceptione labefactandum. Singularem autem ex chirographis conditionem hisce temporibus competit, vestigia nulla prorsus inueniuntur. Proinde vel conditione ex mutuo, vel actione ex stipulatu agendum erat. Prioris fundamentum iam plenissime demonstrabatur chirographo praesumtione iuris & de iure munito. Posterior vero nulla doli exceptione amplius infirmabatur, verborum obligatione chirographo probata. Hanc etiam exceptionem iam hisce temporibus per tempus querelae de non numerata pecunia praeinitum exclusam esse, satis manifestum intellegitur ex rescripto Diui ALEXANDRI AVG. in L. 9. C. de N. N. P. vbi Imperator exceptionem in factum contra chirographum, quod stipulationem litteris exceptam continet, excludit per tempus lege constitutum praeterlapsum. Exceptio autem in factum, detracta doli mentione, eadem erat, atque forsitan casum decidebat Imperans, quo libertus contra patronum se hac exceptione tuebatur, aliumue similem, vbi creditori magna exhibenda reuerentia, quae doli adpellatione laedebatur. L. 4. f. 16. D. de doli except. Hanc indolem retinuerunt chirographa sine vila vicissitudine in usque ad tempora IUSTINIANI Imperatoris, qui duplēm subinde mutationem iniecit scripturis crediti confessionem continentibus. I) *Quinquennium, ab Imperatore ALEXANDRO probabilit̄ constitutum, in biennium continuum coarctauit, ita ut hoc elapsō, neque querelae siue contestationi de non numerata pecunia, neque exceptioni contra chirographi confessionem concedetur locus, sed auctor aliud simpliciter condemnaretur ad pecuniam, quam se accepisse confessus est, soluendam.* L. 14. pr. C. de N. N. P. & II) *litterarum obligationem, si ex crediti causa scripta chirographa, inter contractus esse, illique peculiarem con-*  
*ditionem.*

dictionem sanxit *ſ. vn. I. de litt. oblig.* Totam circa chirograp-  
 pha, quae crediti cauſam complectuntur, reformationem a **IU-**  
**STINIANO** inductam ipſe in *ſ. vn. cit.* delineauit, quam igitur  
 breuissime perlustrabimus. *Olim scriptura,* inquit **AVGV-**  
**STVS,** fiebat *obligatio,* quae *nominibus fieri dicebatur:* quae  
 nomina hodie non sunt in *vſu.* Ad nomina ſe refert Imperator,  
 quae contrahebantur expensi lationi, Kalendariis & mensae scri-  
 ptura (*§. 3.*) illamque ſuis temporibus in *vſu* non fuiffe adferit;  
 cum expensi lationis ſeu perscriptionis tabularum expensi & acce-  
 pti & Kalendariorum vis quodammodo probandi, quam antea  
 habuerunt, sublata ſit ab imperatoribus **PHILIPPIS & GALLIENO,**  
 in *L. 5. 6. & 7. C. de prob.* atque propter frequentem chirogra-  
 phorum stipulationumque *vſum,* quibus *ijſuſae* promittebantur,  
 argentariorum opera non amplius *vti,* vt illis internunciis foene-  
 ratitia negotia celebrarentur, ſolerent ciues. Argentariorum au-  
 tem omne officium temporibus **IUſTINIANI** defeciffa nimis teme-  
 rarium eſſet contendere, quamuis in alia plerumque & quidem  
 ampliora negotia munera conuerſa videantur *Nou. 136.* His itaque  
 ex rationibus Imperator nominum obligationem ab *vſu* recessiſſe,  
 retulit. Non inhaereo fluctuantium interpretum certaminibus,  
 maximeque, quae inter **CLAVD. SALMSAIVM & DESIDERIVM**  
**HERALDVVM** exagitata ſunt, cum parum ad rem faciant, & potius ſic  
 co pede Imperatorum sequutri ſumus in exponendo chirographo-  
 rum contractū. Pergit autem Imperator: *Plane ſi quis debere ſe scri-*  
*pferit, quod ſibi numeratum non eſt de pecunia minime numerata*  
*poſt multum temporis exceptionem opponere non poſt.* *Hoc*  
*enim ſaepiſſime conſtitutum eſt.* Refert ſe Imperator ad antecel-  
 ſorum ſuorum conſtitutiones, quibus quinquennium exceptioni  
**N. N. P.** praescriptum erat, & ex **AVGVSTI** verbis adpareret,  
 hanc conſtitutionem ſaepius eſſe repetitam, quamuis hodie nulla  
 illarum vestigia proſtent, excepta ea, quam ex codicis **HERMO-**  
**GENIANI** fragmentis *ſ. praec.* recensuimus, paucisque, quae co-  
 dice

dice THEODOSIANO leguntur. *Sic sit*, porro IUSTINIANVS loquitur, *vt & bodie dum quaeri non potest*, praeterlapsò nimirum tempore lege definito, quo excluditur querela siue contestatio de pecunia non numerata. Hoc enim nondum praeterito tam chirographum condici, quam apud iudicem competentiem contestatio desuper interponi potest, *scriptura OBLIGETVR & ex ei NASCATVR CONDICTIO, cessante scilicet verborum obligatione*. Hac sanctione non Imperator solum obligationem chirographis, creditam pecuniam accipendi ergo conscriptis, quam ante illum saltem per consequentiam producebant confirmauit, sed etiam pecuniarem iis conditionem adscripsit. Cum enim iam antea per quinquecentum omnes de non numerata pecunia disputandi rationes excluderentur, sane eveniebat, *vt obligationem ratione scribentis producant chirographa lapsu temporis firmata*, licet in hoc casu instituerentur conditiones ex mutuo, aut actiones ex stipulatu. Creditum quidem reuera non aderat, si pecunia non numerata esset, sed, cum producto chirographo cessaret exceptio N. N. P. iam confessio acceptae pecuniae scripta ratio erat condemnationis, quae reum sequebatur, licet nihil acceperit, ideoque obligatio eius in hoc casu oriebatur ex chirographo scriptam pecuniam quam se accepisse confessus erat, soluere, atque post lapsum temporis praesumebatur, illam pecuniam vere numeratam esse, omni probatione contraria cessante, ita *ut nunc praesumptio iuris & de iure ad chirographum accederet*. Actio autem ex stipulatu etiam hisce sub circumstantiis dolii exceptione non amplius infirmari poterat illaque temporis lapsu exterminata reus soluere tenebatur pecuniam in stipulatione comprehensam litterisque exceptam. Proinde chirographa lapsu temporis lege constituti corroborata habebant neque propriam actionem distinctamque a mutui conditione aut ex stipulatu actione, neque pecuniarem inter contractus sumebant locum; sed aut mutui caussa, aut verborum obligatio actionis fundamentum erat. Verum secundum refor-

formationem Iustinianam propriam contractus naturam actionemque ex reo oriundam adipiscetur, prout non solum ex his Imperatoris verbis, sed etiam ex *s. vlt. I. de oblig.* vbi quatuor contractuum genera enumerantur, luculenter adparet. (§. 2.) Quae cum ita sint, absque negotio intelligitur, haec verba: *ceterante scilicet verborum obligatione* parum certe difficultatis secum ferre, licet aliis scrupulos injecerint. Alii enim omnem verborum obligationem chirographo exprimendam inde sublatam esse volunt, Illustris MENCKEN autem cit. *diff. s. 9.* illa ita exponit, vt in hac a IUSTINIANO introducta litterarum obligatione nullis verbis solemnibus amplius opus sit. Haec explicatio mentem Caesari non exhaustit. Istiusmodi verbis in hoc litterarum contractu non opus fuisse, lubenter largior, verum si in chirographo illa continerentur, quaestio iam oritur, vtrum actione ex stipulatu aut conditione ex litteris experiendum fuisset? Non conditione ex chirographo, sed ex stipulatu agendum fuisse reor. Si enim verborum obligatio contracta esset, eo confidentius actione ex stipulatu nunc experiri poterat stipulator, quo exclusa dolii, aut, si maiis, non numeratae pecuniae exceptione, nihil impedimentorum obstaret suae verborum obligationi, quamvis nullam numerauerit pecuniam. Minus igitur necessarium putabat Imperator, chirographis, lapsu biennii firmatis, verborumque obligationem continentibus, nouam sanctire conditionem, cum iam ab initio actio competenter promissario, cui autem nouam conditionem addere supervacaneum atque principiis iuris aduersum fuisset. Haec vero ratio cessabat in eiusmodi chirographis, quae mutuum contrahendi animo exhibita sunt. Hoc enim plane desiebat, pecunia non numerata, adeoque inconcinnum videbatur Caesari ex contractu mutuare conditionem, qui nunquam celebratus fuit. Qua ex causa hanc IUSTINIANI sanctionem ita explicandam esse, res ipsa docet: Si chirographum credendi causa scriptum, cui accessit lapsus biennii, vel verborum obligationem scriptum,

scriptura exceptam continet, vel non. Priori in casu iure Romano actione ex stipulato agendum erat, posteriori autem, noua hac ex chirographo condicione; quia hoc casu iam cessat verborum obligatio, ex qua in priori actionem desumere poterat possessio chirographi. Sequentia, quae Imperator adiecit, verba in *cit. f. vn. I. de litt. obl.* nulla indigent vberiori expositione, cum ad constitutionem suam in *L. 14. pr.* promulgatam illis prouocauerit.

### §. XII.

Ex primis suis natalibus deriuatam dedimus litterarum obligationem, illamque Imperatorem constitutio-  
nibus inuestigata probauimus (§. X.) nullam au- Contra-  
ctus chiro-  
grapharii  
constitu-  
tua enumera-  
rantur.  
tem ante illorum tempora obtinuisse, docuimus (§. IV. & V.) & denique, cum nulla harum obligatio explica-  
ri possit absque adcuratori exceptionis non numeratae pecuniae  
euolutione, eius quoque naturam adumbrauimus (§. VI. IX.) ita ut totius literarum obligationis requisita facillimo prorsus ne-  
gotio intelligi possint, atque exigua tantum de iis, quae erronee  
ut plurimum inter obligations ex litteris oriundas numerantur,  
differendi materia supersit. Constitutua eius autem omnia breui  
oratione prosequuntur sumus. Si originem eius indolemque con-  
sideramus, facile constat, ad contractum chirographarium consti-  
tuendum, litterarumque obligationem efficiendam, duplex requi-  
situm obuersari, quorum uno deficiente, litterarum obligatio est  
nulla. Requiritur nimirum.

I. *Chirographum ex causa mutui datum.* Si enim ex alia  
causa datur, haec non dependet a pecuniae numeratione, adeo-  
que non fieri potest, ut exceptio non numeratae pecuniae, quae  
nimirum opponi nequit, lapsu biennii excludatur. Sed chirogra-  
pharius contractus exinde concipitur, si ex litteris obligatio nasci-  
tur,

F

tur, quae exclusa & exceptione N. N. P. atque cessante verbo-  
rum obligatione contingit. (§. praec.) Quamobrem contractus  
chirographarius locum non inuenit, nisi chirographum ex causa  
mutui scriptum sit datumque. Quamuis contractus litteralis a  
IVSTINIANO ad propriam suam naturam, quam nunc habet,  
euectus sit, exceptio tamē non numeratae pecuniae etiam iure  
veteri non nisi chirographis ex crediti causa proficiscentibus ob-  
moueri potuit, quae tantum quinquennii lapsu exclusa est. Rem  
manifeste loquuntur ALEXANDER L. s. C. & IVSTINVS in  
L. 13. C. de N. N. P. vbi Imperatores distingunt inter chiro-  
graphum ex causa crediti scriptum, & ex praecedente causa debi-  
tum in chirographum redactum. Priori in casu, admittunt  
N. N. P. exceptionem, posteriori autem, illam superuacaneam  
esse declarant, addita causa, quod tunc non requiratur utrum  
pecunia numerata sit, sed an iusta debiti causa praecesserit. (§. VII.)  
Principiis iuris romani collatis statim rationes adparent, quare  
in posteriori casu tam N. N. P. exceptio nullum inueniat locum,  
quam eriam nulla desuper mouenda querela temporis lapsu exclu-  
di debeat. Si enim antecedens causa chirographi praecesserit,  
vel verbis sollempnibus, vel contractui consensuali obligatio debi-  
toris originem suam debet, adeoque negotium non perficitur pec-  
uniae numeratione. Si vero credendi causa chirographum in-  
teruenerit, vel pecunia vere est numerata, vel non. Illo in casu  
mutui contractus totum negotium absolvit, adeoque obligatio debi-  
toris non ex chirographo oriri potest, quae iam nata est ex  
contractu reali, pecuniaeque numeratione. Hoc autem in casu,  
vel chirographum intra tempus lege definitum retractatum est,  
vel minus. Si illud, nullum plane negotium obuersatur, & si hoc,  
iure ante Justinianum, lapsu quinquennii efficiebatur praesumptio  
iuris & de iure, nullam prorsus contrarii probationem admittens,  
& debitor ita per consequentiam obligabatur, pecuniam chiro-  
grapho comprehensam soluere, suaque ideo negligentia punieba-  
tur.

tur. Iure autem Iustinianeo, ex chirographo biennii lapsu corroborato obligatio ipsa condicione ex litteris oritur, quantumvis debitor nihil acceperit. Quamobrem effectus chirographorum facile aestimari atque ad principia sua exigi possunt. Scripta nimirum debiti confessione intercedente, vel causa debendi specialis expressa est, vel minus. Posteriori in casu, *indiscretae cautiones* a VINNIO ad *s. un. I. de litt. obl.* aliisque dicuntur & plane nullum effectum producunt, neque probationis, *arg. L. 13. C. de N. N. P.* neque obligationis. Priori vero, vel ex causa creditae pecuniae datae sunt, vel ex antecedente debiti causa. Si illud, iure nouo obligationem constituunt, ipsamque actionem fundant, pecunia nimirum non numerata & biennio praeter lapsu. Si hoc autem, probationis tantum effectibus gaudent, & in hoc casu vel confessionem dotis acceptae continent, vel minus. Si illud contingit, post tempus a IUSTINIANO definitum, illudque praeeritum, prae sumptionem iuris & de iure operantur, ita ut maritus eiusue heredes dorem restituere debeant, cuius numerationem factam chirographum testatur, quamvis ceteroquin non quam numerata sit. Negligentia cautionem scribentis hic iterum validissima prae sumptione pro dotis numeratione inuecta coercetur. Non desunt, qui contractum chirographarium mutuum esse prae sumptum contendunt, inter quos praecipue eminent BACHOVIVS ad TREVTL. *disp. Vol. I. disp. 20. thes. 2. litt. b. & NIC. MARTINI* in peculiari diff. *de mutuo prae sumpto*, quorum argumenta satis castigavit Illustr. MENCKEN cit. diff. *s. 15.* Verum distinguendum tamen esse puramus ius antiquum a iure Iustinianeo. Secundum leges veteres chirographa, lapsu quinquennii firmata, mutui paaesumptione validissima sustinebantur, adeoque actor causam mutui prae sumti sua intentione comprehendebat, peculiari conditione ex litteris nondum inuecta. Qui autem secundum Iustiniani constitutiones mutuum prae sumptum adhuc somniant, a recta via in totum deflectunt, cum nulla prae sumptione opus,

vbi chirographa totius obligationis conditionisque fundamen-tum constituant. Porro requiritur

II. vt intra biennium chirographum non retractatum illud-que totum praeter lapsum sit. Hoc absolute necessarium esse ad-paret ex §. vn. I. & L. 14. pr. C. de N. N. P. quia illo conte-statio pariter atque exceptio N. N. P. penitus excluditur, ea-que nondum cessante, chirographa nihil faciunt ad obligationem con-stituendam. Hac igitur ex euolutione patet, quam cerebrina sit illorum assertio, qui biennio praeterlapsō debitorem ad proba-tionem exceptionis N. N. P. viam aperiunt, cum haec contra litterarum obligationem nihil operari possit.

### §. XIII.

Ad contra-  
ctus stricti  
iuris non ris. Contractus enim stricti iuris non est, nisi eius per-tinet, cauſa dependeat a formularia solemnitate; consequenter contractus, qui nulla sub formularia solemnitate celebrantur, ad contractus stricti iuris referri nequeunt. Iam vero litterarum obligatio adest, si chirographum ex cauſa mutui datum, quod intra tempus lege definitum non retractum est, (§. praec.) & nulla in chirographo conspi ciuntur verba sollemnia, nulla que formu-laria solemnitas, adeoque tantum abest, vt illa contractibus stricti iuris adnumerari possit, vt potius, quantum ad scripturam per-tinet, quaecunque verba sufficient, quibus scriptor corfiteatur de accepta pecunia. Sed non desunt, qui litterarum obligationem quidem a Iustiniano inuestam a contractuum stricti iuris solemnitatibus alienam esse contendunt, verum antiquam, quam fingunt, inter illos fuisse affirmant, quorum cauſam inter omnes succin-cte atque perspicue peroravit Vir summus IVST. HEN. BOEH-MERVS, aeternum Fridericianae nostrae decus, in tract. de actio-nibus sect. 1. cap. 3. §. 23. seqq. & sect. 11. cap. 8. §. 34. seqq. Viri consummatissimi argumenta eo redeunt, vt I) veterem nominum obli-

obligationem II) chirographa, quae verborum obligationem in scripturam redactam continebant, ad litteralem obligationem retulerit. Sed pace manum tanti Iureconsulti diuortium ab eo initurus sum, eiusque rationes laudabo. Nomina enim siebant propria creditoris manu scripturaque (§. 3.) adeoque fieri non potuit, ut formularia solemnitas interuenisset. Prouocat quidem tam ad auctoritatem CAII Icti in L. 2. D. de obl. & aet. quam CICERO<sup>N</sup>IS Lib. III. de officiis. Verum inspectio vtriusque loci adcuratior extra dubium ponit, virum celeberrimum nubem hic pro Iunone arripiuisse. CAVS l.c. ita loquitur: *ideo autem istis modis consensu dicimus obligationem contrabi, quia neque verborum, neque scriptvrae illa proprietas desideratur.* Scripturae proprietatem explicat per solemnitatem, indeque consequentiam necit, ex CAII verbis indirecte eliciendam esse litteralem obligationem solemnibus verbis contractam. Sub nomine proprietatis latere hic solemnitatem; facile concedo, sed exinde solemnium litterarum obligationem deriuari posse, nego. Mensem Icti fuisse: obligationes, quae nudo consensu contrahuntur, ad suam validitatem neque verborum, neque scripturae solemnitatem desiderare, res ipsa docet. Verum qualis est illa scripturae solemnitas, cuius hic obiter tantum neminit? Contractus consensuales sunt negotia bilateralia, & ideo syngrapha illorum caussa a tabellione publico conficiebantur, ab vtroque contrahente testibusque subinde subscribenda, signaculis simul adpositis. Haec solemnitas obuersatur Icto, ita ut intellexerit vim obligandi contractuum consensualium non proficisci ex confectione atque subscriptione eiusmodi syngraphorum, quae tantum probationis facilitoris gratia expediuntur, nihilque praeter consensum in hisce negotiis desiderari. Quae vero ad CICERO<sup>N</sup>IS auctoritatem adint, ita sunt comparata, ut ex illis nihil litterarum solemnium defumi possit. Refert enim l.c. TULLIVS emtionem venditionem, vbi dolus vendoris, quem Pytheum nominat, interuenerit, illamque ob caussam

emtorem Canium a contractu recedere voluisse. Sed cum, teste  
**CICERONE**, nomina iam facta fuissent, frustra stomachatus  
 emtor, adiecta ab eodem ratione, cum nondum **AQVILIVS GALLVS** protulisset formulas de dolo malo. Sed quae nam est ista  
 nominum conscriptio? quae **CICERONI** obuerteratur. Nulla alia,  
 nisi qua nomen debitoris Kalendario inscriberetur, praemissa stipu-  
 latione de pretio cum usuris tolendo. Fidem enim de pre-  
 tio habuerat vendor. Nulla igitur hic solemnis scriptura, ex  
 qua emtoris obligatio stricto iure orta esset, sed verborum obli-  
 gatio, quae valida erat, licet dolus caussam dederit. Quamobrem  
 nulla doli exceptione se tueri potuit aduersus actionem ex stipu-  
 latu, illa a Praetore nondum publicata. Eiusmodi stipulationes  
 in scripturam probationis caussa redigebantur & cum simul credi-  
 tor codici foeneratitiae pecuniae nomen debitoris perscriberet, di-  
 cebantur etiam nominum obligations, cuius exemplum **CICE- RONE b. l.** refertur. Hanc etiam ob caussam satis adparet, chiro-  
 grapha, quae solemnia verba ore prolatas, deinde autem litteris  
 excepta comprehendebant, fatis erronee ad litteralem obliga-  
 tionem referri. Falsa quoque sunt & omni iuri ratione destituantur,  
 quae **L. c. §. 57.** de exceptione N. N. P. profert, illam ni-  
 mirum esse exceptionem iuris & quidem praetoriam. Cum doli  
 mali exceptione confundit, hancque autem plane diuersae fuisse  
 indolis supra iam vindicauimus. (**§. 9.**) Illa locum habebat, si  
 chirographa in sola mutui caussa subsisterent, haec vero, si stipu-  
 latio esset fundamentum obligations, quod non nisi aequitatis  
 praetoriae auxilio effectibus suis destituebatur, numeratione pe-  
 cuniae non secuta. Sua sponte tandem corruunt, quae propo-  
 suit **§. 58.** vbi litteras solemnies, quibus olim scripta essent chiro-  
 grapha, indicat, atque ideo ad **L. 40. D. de rebus cred. & L. 5.**  
**§. 3. D. de const. pec.** prouocat. Nihil autem litterarum sole-  
 mnium in utraque lege deprehenditur, praeter verba stipulatio-  
 nis propter usurarum promissionem in **L. 40. cit.** Verba ego  
*scripta*

*Scripsi* quidem eo refert; sed vellem ut famae suae celebritati melius prospexisset, litorisque potius induxitisset, litteras sermonem vulgarem continentem, solemnes fingendo. Quis enim est, qui haec verba *in L. 40. cit.* ad mutuam & *in L. 5. §. 3. D. cit.* ad constitutam pecuniam non retulerit? Nulla igitur ratio deprehenditur, quare litterarum obligatio ad stricti iuris negotia referenda sit & qui ideo illam ab usu nostris recessisse contendunt, pessime sane concludunt. Quamuis enim debitor soluere teneatur licet nihil acceperit, iustis certe rationibus hoc constitutum est, nulla aequitate aduersante. Eadem hic cernitur iustitia, quae in materia descriptionis deprehenditur.

#### §. XIV.

*Nulla litterarum obligatio nouatione inducatur.* An nouatio litterarum fieri voluntaria. Necessaria contingebat litis contestatione potuit. iudicio accepto, qua igitur nullam litterarum obligacionem factam esse, per se patet. Sed de voluntaria res inter Ictos disputata est. Videamus igitur an ex collatis nouationum & litterarum obligationis notionibus adpareat, nouationem scriptura exceptam fieri litterarum obligationem. Nouatio voluntaria in genere est actus, quo consensu partium prior obligatio in aliam transferrur, & vel ita comparata est, ut nouus debitor in locum prioris creditoris volenti substituatur, vel non. Priori in casu *nouatio est cum delegatione*, posteriori autem *nouatio in specie talis*, seu *sine delegatione* dicitur. Verum neque priori, neque posteriori efficitur litterarum obligatio. Si enim delegatio contingit, vel per stipulationem siebat, vel non. Si illud, per modum expromissionis, & si hoc, per conflitum alienum fieri poterat. In illo casu verba solemnia ore nuncupata obligationis fundamentum erant. Verum enim vero licet eiusmodi verba in scripturam redigerentur, nulla tamen litterarum obligatio inde oriebatur

batur (§. 13. & praec.) adeoque delegatione fieri non poterat litterarum obligatio. Hoc autem in casu actio de constituta pecunia locum sibi vindicat, L. i. §. 5. & L. 5. §. 3. D. de cons. pec. Sed pactum praetorium a litterarum obligatione longe alienum esse, quis est, qui nesciat? Si denique nouatio sine delegatione seu in specie talis celebratur, secundum ius Romanum mediante stipulatione debitum ex aliis causis transferebatur in nouum, ex verbali contractu scilicet oriundum. Haec stipulatio si in scripturam redigeretur, non facta est litterarum obligatio (§. 5. 12. & praec.) quippe actione ex stipulatu agendum, & scriptura tantum probationis ergo accessit. Neque, si litterarum obligationis caussam recte aestimatur simus, vila ratio datur, quare ex litteris obligatio hic oriri possit. Solum chirographum quasi credendi ergo scriptum illam constituere potest, si per tempus praeterlapsum exclusa fuerit N. N. P. exceptio. Sane, si literarum obligatio adest, nulla profecto causa debiti praecessit, sed tota ex litteris oritur. Nec etiam requiritur, caussam mutui vere praecessisse, cum hoc facto obligatio iam ex numeratione oriatur, & chirographum in hoc casu probationis vice tantum fungatur, quod ante tempus, exclusioni non numeratae pecuniae exceptionis praefinitum, ne effectum quidem probandi habet. Quamobrem, si chirographum ex causa mutui scriptum, vel pecuniam creditor numerauit debitori, vel non. Priori in casu adest mutuum veri nominis, & chirographum non constituit obligationem reddendi, sed sola numeratio, etiamsi tempus lege definitum praeterlapsum sit. Posteriori autem, cum debitor, pecunia non numerata, ex rei traditione obligatus esse nequeat, ex chirographo nunc ille obligatur, biennio iam praeterito. Verum in nullo casu alia debiti praecessit causa, neque in illo, quia solum mutuum adest & ex chirographo nulla nascitur obligatio, neque in hoc, quia nulla numeratio adeoque nullum mutuum praecessit, sed ex solo chirographo obligatio conditio que

que oritur. Hac ex ratione, extra omnem dubitationis aleam vindicatum est, neque litterarum obligationem inuolucre nouationem, neque nouando fieri posse hanc obligationem. Vbi enim nullum debitum prius in aliud transfunditur, vbi non contingit nouatio (per definitionem.) Atqui in litterarum obligatione debitum prius non transfunditur in aliud (§. 12.) Ergo nouatione nulla litterarum obligatio inducitur. Vtramque propositionem supra demonstratam dedimus, adeoque consequentia quoque indubitate est. Verum enim vero iam mihi obmoueri video c API atque THEOPHILI auctoritatem, indeque probare conantur, iure veteri obligationem litterarum per nouationem contractam esse. Sed habebunt me iure refragentem. Nihil enim apud vtrumque cernitur obligationis, quae ex litteris oritur. Ille *Inst. lib. 2. tit. 9. §. 11. & 12.* exempla profert nouationum & delegationum, simulque addit, non hic de cauto & non numerato disputationi posse, quia vel praecedens causa ex aliis contractibus concipienda adsit vel alius debitor substitutatur. Certe quum exceptio non numerariae pecuniae ab ALEXANDRO primum iustis temporum cancellis inclusa fuerit, per rerum naturam fieri non potest, vt CAIVS veram litterarum obligationem definire potuisset, cum multum ante eius Imperium scriperit. Nec THEOPHILVS obligationem genuinam litterarum in *Parapbr. Inst. Libr. III. tit. 21.* adtingit, si illam explicat per veteris nominis in nouum creditum per SOLEMNIA VERBA & solemnes litteras transformationem. Statim enim adparet, illam nouationem esse, quae verbis solemnibus h. e. stipulatione, perficitur quae deinde litteris excipiebatur, quod etiam formula latina, quae in editione CAR. ANN. FABROTI exstat, luculentiter docet. Sed fluctuant praeterea in THEOPHILI interpretatione commentatores, cum alii exinde colligere studeant, veterem obligationem litterarum nouatione inducatam esse, inter quos praecipue est, B. HEINECCIVS, quod miror, in *Synt. Ant. libr. III. tit. 2. §. 4.* Illustr. MENCKEN cit. diff. §. 10. autem contra ea, THEOPHILVM ad veterem numerationem ex arca & domo respexisse, suspicatur, quod tamen

G

cogi-

cogitari nequit, quia THEOPHILVS non de numeratione pecuniae foeneratitiae vel mutuo dandae loquitur, sed de sola nouatione, quam cum CAIO litteris fieri dixit. Improprio hic litteralis obligationis significatu vterque vtitur, & ideo sic loquutos esse vtrique credendum est, quod verborum obligationes plerumque probatio-  
nis causa in scripturam redigerentur, atque ita illos a quotidiana consuetudine nomen deriuasse. Vera autem litterarum obligatio nunquam requirit, vt solemnis stipulatio atque verba ore prolatā antecedant. Quae cum ita se habeant, facile intelligimus, illorum doctrinam plane esse spuriam & erroneam, qui litterarum obliga-  
tionem iure veteri ex quacunque debiti causa fieri potuisse, a IV-  
STINIANO autem ad caussam mutui atque dotis restrictam esse do-  
cent, cum chirographa ex mutui caussa omni tempore requisita fue-  
rint, si exceptio N. N. P. temporis lapsu excludenda esset, atque in caussa dotis nulla a IVSTINIANO inuecta fuerit litterarum obli-  
gatio.

### §. XV.

De earum vnu in fo- Disputata igitur, quantum materiae ratio exigere vi-  
nis nostris debatur, litterarum obligatione & exceptione non num-  
cessante. raae pecuniae, nonnulla de earum vnu in foris Germaniae addenda essent, nisi ex singulis atque diuersis chirographis procedendi modis constaret, aut nihil, aut parum cer-  
te ex litterarum obligatione, quam IVSTINIANVS proposuit, nobis supereesse. Illa enim depositit, I) chirographum ex causa mutui  
datum, quo quis ab altero se pecuniam accepisse, & ad quam re-  
stituendam se obligatum esse confessus est, atque II) lapsum bien-  
nii accepisse, intra quod illud non retrahatum est. Si haec requi-  
sita simul deprehenderentur, obligatus erat scriptor, pecuniam  
chirographo comprehensam restituere, quantumvis nihil acceperit.  
(§. 12.) Nulla itaque dubitandi ratio locum inuenit, haec quoque in Germania obtinere debere, nisi alius chirographorum vnu re-  
ceptus esset. Sic enim in libellis, quibus chirographa biennio an-  
tiquioria adnectuntur non fundamentum agendi ex mutuo arque  
cre-

credita pecunia desumendum esset, sed simpliciter ex scriptura illud actor repetere deberer, atque libelli formula ita concipienda esset:

Aus beygehender Handschrift sub signo ☽ erhellet, daß Sempronius darinn bekennet, von mir 400 thlr. empfangen zu haben, und derselbe versprochen binnen 1 Jahr diese Summe an mir baar wieder zu bezahlen, solches aber bis jezo noch nicht bewerkstelligt hat, und gleichwohl dieses Schuldbekenntniß älter als 2 Jahr ist; so ic.

Petitum quoque huic fundamento agendi, ex solo chirographo firmato lapsu biennii desumto, conformiter ita formandum:

Dass Beklagter mir die aus der producirten Handschrift schuldige 400 thlr. bezahlen solle.

Sed contra rationem contractus chirographarii plerumque ex ipsa murui natura fundamentum desumitur & chirographum tanquam medium probandi, ut nimurum liquidam reddat actoris intentionem, adnectitur, atque ita libelli formulam concipere solent.

Aus anliegender Handschrift des Herrn Caii ist mit mehreren zu ersehen, wie derselbe von mir 600 rthlr. geborget und ic.  
Quo facto sane omnis chirographorum causa perturbatur, atque confunditur. Si enim ex natura literalis obligationis res in iudicium deducta aestimanda esset, nihil praeter recognitionem chirographi a reo faciendam requiritur, & tunc reus vel recognoscit, vel diffiterur. Si prius, statim condemnandus est, reiectis exceptionibus, quae numerationem non sequuntur esse arguant, reliquis, quae ex alia caussa pertinentur, saluis, quippe quae etiam secundum ius Romanum obmoueri possunt e. g. compensationis, solutionis &c. Si posterius, actor scripturam rei esse, probare debet apud Romanos. Verum hodie murata processus indole, aut executiue agitur, aut processu ordinario caussa ventilatur. Priori in casu, reus ad recognoscendum chirographum ciratur, illoque recognito, sententia quidem condemnatoria statim sequitur, reiectis omnibus exceptionibus in continent ad liquidum non perducendis; sed exceptio non numeratae penitus ideo non penitus

excluditur, & tantum cum reliquis ad separatum reconventionemque reiicitur. Non est, quod processum executuum iuris communis & Saxonici distinguam. Sufficit, in utroque non excludi N. N. P. exceptionem & cum reus in processu ordinario reconventione instituta actor fiat, probatio illi iniungitur, sibi pecuniam non esse numeratam. Si autem ab initio processus ordinarius eligitur, vulgo distinguit acuta practicorum natio, utrum biennium iam dum praeterlapsum sit, nec ne. Illo in casu, ex regulis iuris ciuilis actori iniungunt probationem, *privilegiata* tunc appellant N. N. P. exceptionem. Si autem hoc, reum ad probationem exceptionis admittunt, quoniam tunc non amplius effet *priuilegiata*, quo eo ipso autem euertunt naturam litterarum obligationis, quippe quae tota deficit, si illi adhuc locus conceditur. (§. 11. 8. & 12.) Ita cohaeret vulgaris doctrina, quam ex immensa compendiorum, syntagmatum decisionum, consultationum atque practicorum multitudine illustrare potuisse, nisi chartae & temporis inferuendum effe ducam. Quibus vero positis, chirographorum nostrorum longe aliam effe indolem, nemo in dubium vocare potest, nisi talpa cecior sit. Optandum quidem esset, contractum litteralem in usus iterum reuocari, quo & negligentiae debitorum obuiam eatur, & malitiae fraudesque foeneratorum magis compescantur, quae in diem ingrauescent, atque secundum processus nostri praesertim executui indolem debitorum res quam maxime periclitentur. Quid enim magis arduum est, probatio ne non numeratae pecuniae fungi, illa in reconventionem reiecta? Sed ne politici consiliarii personam agere videar, intra terminos Iureconsulti me continuebo & ideo dicam

T A N T V M.

**ULB Halle**  
002 169 525

3




*Sb.*



**Farbkarte #13**

B.I.G.



DISSERTATIO IURIS CIVILIS

D E

VERA INDOLE

LITTERARVM OBLIGATIONIS  
ATQVE EXCEPTIONIS  
NON NVMERATAE PECVNIAE

E A R V M Q V E V S V  
IN FORIS NOSTRIS CESSANTE

Q V A M

P R A E S I D E

V I R O I L L V S T R I ATQVE CELEBERRIMO  
G E O R G I O S A M V E L E M A D I H N

I U R I S V T R I V S Q V E D O C T O R E

E I V S D E M Q V E I N R E G I A F R I D E R I C I A N A P R O F E S S O R E P U B L I C O O R D I N A R I O

A C F A C V L T A T I S I V R I D I C A E A D S E S S O R E

D. IX. F E B R V A R. M D C C L X.

P U B L I C A E E R V D I T O R V M D I S Q V I S I T I O N I S V B M I T T I T

A V C T O R

C H R I S T O P H O R V S F R I D E R I C V S W E N T Z E L

I S L E B I E N S I S .

H A L A E

L I T T E R I S H E N D E L I A N I S .